DE

DIALECTO ARCADICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

MAURITIUS ADOLPHUS GELBKE.

ZITTAVIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS MELZERI.

MDCCCLXIX.

De Fontibus.

Quamdiu nostram dialecti arcadicae cognitionem hauriebamus ex inscriptionibus corruptis et laceris, quas Boeckhius in inscriptionum graecarum corpore edidit, (vol. I. pg. 697—710) exiguisque glossis utilibus, quas nobis tradidit Hesychius, tam diu non poterat esse mirum, quod homines docti, cum e fontibus quodammodo aqua turbida efflueret, de ejus indole inter se dissentiebant nec plane perspiciebant, e qua graecae linguae parte nata esset dialectus arcadica. Nam alii nominabant eam dorici sermonis varietatem, quocum in vocali *α* longa servanda (*Δαμοκλῆς* C. I. G. 1513) brevi obscuranda (*ἑκοτόμβοια* C. I. G. 1315) et genetivo in *ω* formando (*Οὐτίω* C. I. G. 1313) congrueret. Haec est sententia Ahrensii, qui in fine quaestionis de hac dialecto institutae (de graec. ling. dial. I, pg. 234) ei artiorem cum aeolicis dialectis cognationem esse negat. Aliorum, qui, hanc ipsam constanter confirmant, princeps est Giesius, qui cum Arcadas enumerat inter gentes aeolicas (Ueber d. äol. Dial. pg. 144. 149), certo Strabonis testimonio [1]) nititur eisdemque vocalium affectionibus, quibus adversarii opinionem comprobant quaeque utrisque dialectis communes sunt. Quorum virorum judicia

---

1) Strab. VIII, 1, 2 C. 333 ed. Kramer *Ὅσοι μὲν οὖν ἧττον τοῖς Δωριεῦσιν ἐπεπλέκοντο, καθάπερ συνέβη τοῖς τε Ἀρκάσι καὶ τοῖς Ἠλείοις, οὗτοι αἰολιστὶ διελέχθησαν.*

ut recte intellegamus, necesse erit eas inscriptiones, quibus usi sunt, paulo accuratius examinare.

Scripturam si spectamus, in duas classes distinguendae sunt inscriptiones: in antiquiores et recentiores, quarum hae illas numero longe superant. Nam una tantum brevi post bellum peloponnesiacum orta videtur esse C. I. G. 1512, in qua *η* per *E* scriptum et litterarum *λ* et *ϱ* figura mutilato *Λ* et angulato R similis est, cum titulus C. I. G. 1520, ubi *σ* magnae litterae *ε* formam habet, propter L. Mummii nomen medio secundo saeculo tribuendus sit. Graecos enim aeque ac Romanos monumentis interdum colorem appinxisse vetustum, ex inscriptionibus cognoscitur, quas Franzius in elementis epigr. graec. exposuit (tit. 30—35). Legitur in titulo 31 *Ϝασσ* ..., quod cum arcadico *Ϝασστυοχο* compares (C. I. G. 1520). Eo autem, quod in titulo arcadico 1512 litterae *α* et *λ* et in inscriptione Mantinensi a Bergkio edita[2]) (Ann. dell' inst. arch. t. 33, pg. 30, 1861) *π* et *δ* per easdem formas expressae sunt atque apud Corinthios — nam *π* littera patenti graeco *P* similis est, *δ* transverso *Δ* — suspitio movetur, Arcadas antiquissimo tempore litteraturam cum his communem habuisse vel recepisse, praesertim, cum Cypselo et Periandro tyrannis Corinthii principatum quendam in finitimos populos egerint (cf. Kirchhoff, Stud. z. Gesch. d. griech. Alph., Abhandl. d. Berl. Akad. 1863, tab.). In his titulis recentiores quoque figurae *Α Λ Σ* deprehenduntur, quare, si recte statuimus litteraturam ionicam fere eodem tempore apud Peloponnesios, quo apud Atticos in usum venisse et antiquam scribendi rationem in titulis privatis diutius observari, illos in medio saeculo quarto posuerim. Vetustatis autem affectationem, qua prohibemur, quominus inscriptionem 1520 his priorem existimemus, non solum notabiles litterarum *σ* et *χ* formae evidenter demonstrant, sed etiam digamma et duplex *σ*, quod de Boeckhii et Franzii sententia ante *τ* in modum nostri „sch“ sonuit

2) *ΑΠΟΛΛΟΝΙΚΑΙΣΥΝΜΑΧΟΝΔΕΚΟΤΑΝ.*

(cf. Franz, Elem. tit. 30 *Ἀριστογείτων*, *Τελέσσιας*, *προστάτης*).

Difficilius ordo inscriptionum recentiorum statuendus est propterea, quod litteris ionicis receptis scriptura minus fluctuavit et dorico sermone ingruente patriae formae dilutae sunt. Eis igitur remotis, quae serioris aetatis signa prae se ferunt, dico potissimum inscriptiones 1521—33 in quibus *E* rotundam formam ostendit, *σ* latini C et longum *o* minusculae litterae *ω* et imperatores Constantius et Constantinus concelebrantur, paucae relinquuntur, quae plus minusve dialectum reddant puram et genuinam, inscr. 1513—15, 1534 sqq. Inscriptionem enim 1511 Doriensibus adscribendam esse, e formis *FIKATI* et *FEXE* .... (*Fεξήκοντα*) elucet (cf. Kirchh. Stud. pg. 208). Atque Peloponnesiorum sermonem, quam vere dixerit Strabo [3]) doricis formis infectam esse, illae quoque inscriptiones declarant, cum formas vernaculas (*Ἀπολλωνίδαυ*, *Τιμοκρέτης* C. I. G. 1513) et doricas (*Φιλλία* C. I. G. 1514) promiscue exhibeant. Nam cum perspicua hujus dialecti vestigia exstent, nescio, cur genetivum *Φιλλία*, quem Ahrensius in *Φιλλίαν* corrigere vult, (l. c. I, pg. 233) suspectum habeamus. Sed inscriptiones 1513. 1516, quod vel atticas formas non respuunt, (*τοὺς στεφάνους*, *Τεγεατῶν*) paullo posteriore tempore conceptae videntur esse, quam inscriptiones 1514. 1534. 1538. Illis autem Philopoemenis inscriptionem sepulcralem, (cf. Paus. VIII, 52, 6 ed. Walz) quam restituisse Keilii est, adnumeraverim, cum formae *ἐπαύξηται*, *ἐν τᾷ ἀγορᾷ*, *τοῖ Μεγαλοπολιτῶν ὅσιος* obstent, quominus eam tanti faciamus, quanti ille vir clarissimus (Anal. epigr. pg. 14). Quid plura? Ex his inscriptionibus, quae in alterum vel tertium saeculum a Chr.

---

3) Strab. VIII, 1. 2. C. 333: *Οἱ δὲ ἄλλοι* (scil. Pelop.) *μικτῇ τινι* (*διαλέκτῳ*) *ἐχρήσαντο ἐξ ἀμφοῖν, οἱ μὲν μᾶλλον, οἱ δ'ἧττον αἰολίζοντες· σχεδὸν δ'ἔτι καὶ νῦν κατὰ πόλεις ἄλλοι ἄλλως διαλέγονται, δοκοῦσι δὲ δωρίζειν ἅπαντες διὰ τὴν συμβᾶσαν ἐπικράτειαν.* Antiquiore enim tempore, quam, quo hac inscriptiones exaratae sunt, Arcades aeolico sermone utebantur incorrupto.

incidunt, plenum de Arcadum dialecto genuina judicium fieri non potuit.

Ad alterum fontem si descendimus, in eadem fere indigentiae querela versamur. Hesychii enim glossarum numerus, quas Maur. Schmidtius in editionis indice arcadicas nominat (Hesych. t. IV, ind. pg. 153), eo valde deminuitur, quod vir doctissimus multas, quibus gentis nomen additum non est, sine idonea caussa Arcadibus adscripsit. Tollendae igitur sunt hae: *δάρκες· δέσμαι*
δέλλει· καλεῖ
δευάσθαι· γεύσασθαι.

Sequuntur vocabula, etsi vere arcadica, ad nostram tamen rem inutilia, cum obscura origine sint, velut:

δάριν· σπιθαμήν, Ἀρκάδες
κάθιδοι· ὑδρίαι, Ἀρκάδες
ληναί· βάκχαι, Ἀρκάδες
μωρίαι· ἵπποι καὶ βοῦς ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων
οὖνει· δεῦρο, δράμε, Ἀρκάδες.

Non multo majoris pretii sunt:

ἄρμωλα· ἀρτύματα, Ἀρκάδες· καὶ ἀρμώμαλα
βερβίνια· ξυλὰ καθηλωμένα, ἐξ ὧν τὰς ληκύθους ἐκρέμων· οἱ δὲ γένος τι ἀρκαδικὸν τοὺς Βερβενίους.
θύρδα· ἔξω, Ἀρκάδες.

Huc accedunt nonnullae glossae gentis nomine nudae, quas recentes tituli vel grammatici vel scriptores testantur Arcadibus proprias fuisse. Recenseo has:

δαρχμάς· δραχμάς cf. I. Teg. v. 30 *δαρχμαῖς*)
ἐπεζάρει· ἐπεβάρει[4]) } cf. Eustath. 909, 29; 381, 20:
ἐπεζάρηκεν· ἐπεβάρυνεν } *ἐπεζάρησαν οἱ Ἀρκάδες φασίν.*
ζέρεθρα· βάραθρα, κοῖλοι τόποι (cf. Strab. VIII, 8, 4 C. 389.)

---

4) Pors. not. ad Eurip. Phoen. v. 45 sq.

— *ὡς δ' ἐπεζάρει*
Σφὶγξ ἁρπαγαῖσι πόλιν.

Eidem Arcades dixerunt *ζέλλω* pro *βάλλω*, *ζέβυται* pro *βέβυσται.*

His adjungo secundum sonorum quasdam affectiones, quae in dialecto arcadica vigent:

δέρεθρον· λίμνη ἀποχώρησιν ἔχουσα
ζέλλειν· βάλλειν
ἔζελεν· ἔβαλεν
κάζελε· κατέβαλε
ζεύσασθαι· γεύσασθαι [5]).

Ceteri glossographi nihil novi afferunt, ut etymologici magni auctor:

ζέλλω· τό βάλλω, ἐξ οὗ ζέλλειν τὸ βάλλειν.

Nummi autem, qui nos alibi quasdam dialectorum proprietates edocent, nullo modo arcadicam illustrant, cum vetustiores oppidorum nomina decurtata praebeant, seriores Caracallae et Severi aetate excussi sint. An multum tribuas signis *ΤΕ. ΑΡΚ. ΤΟΙΣ ΑΡΚΑΣΙ ΑΛΕΩΝ. ΜΑΝΤΙΝΕΩΝ*? Unum nummum invenies, ubi genetivum in — *αν* leges: *Τεγεατᾶν* (Mionnet, Descript. num. II, pg. 256 n. 72). Fateberis igitur, non prius de Arcadum sermone recte judicari potuisse, quam novae inscriptiones effossae essent. A minoribus monumentis, quae nuper in lucem protracta sunt, ut exordiamur, in principio collocari par est inscriptionem Tegeaticam parvam [6]), quae, cum atticae litteraturae vetustioris vestigia satis expressa sint, (cf. litterarum *σ δ ρ* et spiritus asperi figuram) de antiquitate cum Mantinensi supra commemorata certet. Paene nullum pretium habet inscriptio Cleonaea (Rang. II, n. 959), Aleensis, Tegeatica altera (Ross, l. c. I, n. 2. Intellig.-Bl. der Hall.

---

5) Glossam ἐγκαθελεῖν· καταβαλεῖν huc referre dubito, quia, si haec arcadica esset, ἐγκαδελεῖν exspectaremus. Habet autem aliquid probabilitatis, in lesbiacis glossis passim latere arcadicas, quod haec dialectus in quibusdam vocalium affectionibus (utraque mutat *α* in *ο*, *ο* in *υ*) cum illa consentit.

6) Ross, Inscr. ined. I, n. 7 = Rangabé, Antiqu. hell. II, n. 2238: *ΠΟΣΟΙΔΑΝ ΕΡΜΑΣ ΕΡΑΚΛΕΣ ΧΑΡΤ.* (cf. Kirchhoff. l. c. pg. 213.)

Litt.-Zeit. n. 40, 1838) et Megalopolitana (Ann. dell' inst. 1861 pg. 33). Quae omnino atticam et doricam scribendi rationem produnt (cf. *τοὺς δούλους, ἀρετᾶς ἕνεκεν*), sed eo usui sunt, quod, si jure ab his viris alteri vel tertio saeculo assignantur, plane indicant, celeberrimam inscriptionem Tegeaticam, quae novem abhinc annis prope Pialium, Arcadiae pagum, reperta est, eodem tempore non posse conceptam esse. Contendit enim Bergkius, qui primus hanc publici juris fecit (Comment. de tit. arc. pg. 12. Ind. schol. Halens. 1860/61) titulum propter litterarum figuras et ea, quae de belli discrimine atque rapinis proferantur, in tertio saeculo ad finem vergente ponendum esse, cum Michaelis, qui (Jahns Jahrb. B. 83, 1861 pg. 585 sqq.) accuratam tabulae descriptionem dedit, hunc titulum ante aetatem romanam exaratum judicat. Et mihi quidem posterior de tempore sententia probanda esse videtur. Nam cum in quarti saeculi titulis peloponnesiacis litteraturam ionicam jam usurpatam videamus (cf. Franz, Elem. pg. 150 sqq.) et bellum, quod operum publicorum locatores commemorant, non plane declaretur, certa et gravia Bergkianae opinionis argumenta deficiunt. Et si consideramus non solum achaici foederis aetate, qua Macedones et Lacedaemonii inter se depugnarent, Arcadiam acerbissimae discordiae sedem fuisse, sed jam Thebanis principatum obtinentibus et post diadochis dissidentibus Tegeam et Mantineam potentiae aemulas cruenta bella gessisse, eodem jure, quo Bergkius tertio saeculo, nos medio vel exeunti quarto inscriptionem attribuere possumus. Qua in re etiam dialecti ratio non neglegenda est, quae, si ab attico genetivo *λαφυροπωλίου* (v. 11) discesseris, speciem prae se fert tam genuinam puramque, quam, si inscriptio saeculo, quo externi exercitus perpetuo peragrabant terram, orta esset, vix retinuisset. Inde etiam magnum discrimen inter Tegeaticae et illarum minorum sermonem explicatur. Nam quamquam in ea passim formae oculis occurrunt, quae dorice sonant, (cf. imperat. in — *όντω*, infin. in — *εν*) negaverim tamen, Arca-

das has a Doriensibus mutuatos esse, praesertim cum illi saeculo quarto confines bello lacessierint. Postea autem, cum Arcadum civitatibus libertas eriperetur, simul cum dorico imperio doricae formae irrepserunt (cf. ἱερῆς, Ἡρακλείδα C. I. G. 1513). Externa enim dialectus tum demum in alias gentes propagatur, cum populus, qui hac utitur, eis eruditione ac potentia praestat, quare neque in titulo Tegeatico atticae vestigia neque in posterioribus doricae offensioni sunt. Eis, quae de illius aetate proposuimus, id quoque fortasse subsidio est, quod ο ω ϑ per minutas litteras scripta sunt et ι longi vice fungitur ει, quem usum in atticis circiter a. 320 ortis invenimus. (Franz, l. c. tit. 66 sqq.)

Oportebat in hac inscriptione diutius morari, quod ea potissimum tamquam certo in dialecto describenda fundamento utendum erit.

Praeterea nummi Thelpussani signo Ἐρίων instructi, quem Bergkius (Bull. arch. 1848, pg. 136) summo jure Arcadibus vindicavit, mentio facienda est. — Strabo et Pausanias inscii ad caliginem, qua sermo arcadicus circumfusus erat, dispellendam et discutiendam aliquid certe contulerunt. Nam etsi regum facinora satis ambigua, quae memoriae prodiderunt, fere nihil habent ponderis, nomina tamen propria seu ducum seu oppidorum seu fluminum sunt alicujus momenti, cum ea ipsa tenaciora esse antiquitatis pateat, quam ob caussam vocabula Θελπoῦσσα Λέρεα non neglegemus. Ex Anytae carminibus, quam comperimus poetriam fuisse Tegeaticam, ne opineris fructum te esse capturum (cf. Jacobs, Antholog. graec. I, pg. 130. XIII, 852 sq.). Nihil enim Arcadici in epigrammatis, quibus nomen ejus inscriptum est, invenitur.

De dialecto Aeolica ejusque generibus.

Jam Godofredus Hermannus in dissertatione de graecis dialectis (pg. 4) praecepit, ut, qui de his dicturus sit, formas, quibus singulae inter se discrepant, colli-

gat et conferat. Eo non solum apparere, quae antiquiores sint, quae recentiores, sed viam etiam cognosci, quam quaeque dialectus in formis permutandis inierit. Quae comparatio eo utilior et aptior est, quod opinio increbruit, dialectos aeolicas, quantopere regiones, ubi vigent, alia ab alia remota sit, tantopere inter se distare. Hanc autem differentiam non casui ac fortunae adscripserim, sed eo explicaverim, quod diversae gentis aeolicae partes mature se sejunxerunt et singulae commercio et societate interrupta sermonem prius communem proprie excoluerunt. Itaque quamvis campum intrem valde lubricum, extremis tamen lineis designabo, quam viam illarum migratio ingressa esse videatur.

Prisco tempore Aeolenses, qui postea nominabantur, sedes in Thessalia collocarunt, donec major pars ex hac terra seu peregrinorum incursionibus seu nimia populi frequentia expelleretur. Alii in Boeotiam se vertebant, alii in Peloponnesum descendebant, alii Lesbum navigabant, quo evenit, ut Aeolensium stirps in quinque gentes divideretur: in Thessalos, Boeotos, Eleos, Arcadas, Lesbios. Cyprios enim originem ab Arcadibus traxisse, auctor est Pausanias, qui Agapenorem, cum e Troja reversurus tempestate Cyprum dejectus esset, Paphum condidisse narrat [7]) (Paus. VIII, 5, 2). Has gentes sedes habuisse communes, dialecti ipsae confirmant. Nam quamquam versicolorem, ut ita dicam, vestem induerunt, in eo tamen consentiunt, quod vocalium quadam inconstantia et sonorum obscurorum amore et in modum verborum in -$\mu\iota$ flectendi studio tenentur. Itaque si verum est, quo latior campus sit, per quem aliqua sermonis consuetudo se expandat, eo antiquiorem eam existimandam esse, illae dialectorum aeolicarum proprietates certa antiquitatis indicia sunt. Attamen eo, quod Aeolenses ex locis communibus

7) Fabulae, qua Tegeatae in Cretam migrasse dicuntur, fides abroganda est, quia neque Cretes ipsi neque inscriptionum dialectus eam comprobant (cf. Paus. VIII, 53, 4).

cesserunt, effectum est, ut quaeque gens sermonis patrimonium, quod e Thessalia quodammodo secum duxerat, pro suo ingenio administraret: alia molles vocales adamabat, alia depravabat diphthongos. Caveas autem, ne arbitreris, singulas dialectos sonorum permutationes admisisse inauditas, sed leges, quibus communis lingua astringitur, religiose observabant, et quaedam certe etiam varietatum constantia atque affinitas perspici potest.

Via igitur aperta et munita, quam in dialecto arcadica effingenda ingressurus sum, jamjam explanabo, quaenam sit hujus species, qui locus, quem ea inter ceteras dialectos aeolicas obtinet.

De vocalium et diphthongorum permutationibus.

Initium capiamus a vocalibus brevibus, quarum permutationibus praecipue inter se differre dialectos notum est, et ita, ut primum duras (*α*, *ε*, *ο*) in disceptationem vocemus, tum molles (*ι*, *υ*) plerumque ex eis progenitas, deinde diphthongos, quae illis similes expertae sunt depravationes.

Quia vero una cum populis, qui se ex Asia in occidentem convertebant, vetustum illud *a* abiit in *e* et *o*, ex hac varietate plane cognoscitur, quam longe quaeque lingua ab antiquissima aberraverit. Decursu enim temporis, cum enuntiata conjungendi et comprehendendi ratio expolitior ac concinnior fiat, soni et formae debilitantur et corrumpuntur, seu ut vocum notiones subtilius discernantur, seu ut vocabula facilius pronuntientur. Quod studium non solum in linguis indogermanicis universis multum valet, sed etiam in cujusque linguae dialectis et in eis plus, quippe cum sonis flectendis varietates, quae nominantur, dialectorum natae sint.

Itaque primum ea exempla annotabimus, in quibus Arcades *α* ab aliis Graecorum gentibus immutatum servaverunt. Nam *α* breve, quamvis ea vocalis sit, quae propter claritatem et amplitudinem creberrime debilitetur, in quibusdam tamen vocabulis retinuit haec dialectus.

Intermedium *α* in *κάν*, *τϱιακάσιοι*, *στϱαταγοί* (I. Teg.)

et ἐπιζαρέω integrum invenimus. Particulam κάν brevem vocalem habere, primus exposuit H. Weber, (Die dor. Partikel κά, Halle 1864) qui, A. Kuhnium secutus, eam jure cum sanscrito *kam* comparat et aeque Doriensibus atque Arcadibus adscribit. Hanc enim et in Theocriti carminibus, ubi antea longum, quod videbatur, κά receptum erat, (pg. 22 sqq.) et in Pythagoreorum reliquiis restituit (pg. 98 sq.). Triplici autem modo originarium κᾰ́ν depravatum est, cum aut littera nasalis detracta (cf. νύν et νύ) aut α in ε attenuatum aut utrumque factum sit. Exstat enim praeter illud κάν brevior forma κά, quae apud Boeotos Eleos et Dorienses in usu fuit. Tertia κέν et κέ, in quibus nasalis vi α transiit in ε, Lesbii et Iones usi sunt. — Si de τριακάσιοι quaerimus, Arcades antiquiores Boeotis et Doriensibus aliquantum antiquitate cedunt, superant Lesbios et jonas. Permittebant enim, ut sequente ι littera τ, quam illi in διακατίοι retinent, in sibilum contereretur, cum ab ea a vocalis obscuratione, qua stirps κατο in κοτο permutatur, abhorrerent. Aliter Arcades recentiores, de quibus dicere alius loci est. Forma igitur arcadica τριακάσιοι mediam quodammodo sedem habet inter dor. boeot. διακάτιοι et ion. lesb. διακόσιοι, quam condicionem saepius in vocalium affectionibus animadvertemus. Cum in his duobus vocabulis Arcades simul cum Boeotis α servarint, hi et Thessali et Lesbii fuscum sonum receperunt in στρότος, quod illi στρατός (cf. Στρατία) pronuntiabant, ut in hac voce, quam a radice στορ derivamus, propter liquidae litterae metathesin α retentum esse videatur. Nam liquidis praecedentibus Graecos vetustissimae vocalis tenaciores fuisse docent θρασύς, βραδύς, βραχύς. Etiam ἐπιζαρέω i. e. ἐπιβαρέω hic commemoretur, quo in vocabulo ex analogia aliorum, quae post afferentur, potius ἐπιζερέω exspectaveris. Nomina propria Μαλοίτας, Φάλανθος, Μάραθα huc referre propter originationis obscuritatem dubito. Exempla igitur quamquam suppetunt, ubi α servatur, numero tamen inferiora sunt eis, in quibus α in ε vel ο transiit. Concedo

e dialecti fontibus satis tenuibus non posse ad liquidum perduci, utrum in aliis quoque vocabulis boeotico et thessalico *α* respondeat arc. *α* necne, sed *ἱερός*, *ἔργον*, *περί*, quorum prius apud Thessalos Boeotos Eleos *ἱαρός* sonat, posteriora apud Eleos *ϝάργον* et *πάρ*, significant, in dialecto arcadica *α* vocalis depravationem latius serpsisse, quam in his. Quas *α* servando doricam fere aequiparasse ex exemplis intellegitur, quae Ahrensius collegit (I, 138, 228. II, 528 sqq.).

Constat inter omnes, litteras liquidas (*λ*, *ρ*) et nasales vicinas vocales praecipue in mediis vocabulis adeo labefactare, ut aeque earum color permutetur ac sedes. Quae quam multum ad *α* detorquendum contulerint, ex indice plane cognoscitur, quem Curtius ad attenuationes illustrandas, quas *α* vocalis passa est, accuratissime composuit, (Ueber d. Spalt. des A-Lauts, Ber. d. k. s. Gesellsch. d. W., Leipz. 1864) quare hujus affectionis ambitum e dialectis aeolicis et, si occasio fuerit, ionicis circumscribam. Dorienses enim, ut antiqua instituta et mores, sic fideliter conservasse antiquos sonos neminem fugit. Alia autem ratio apud Aeolenses valuit, qui *α*, si nasalibus litteris objectum est, in o vertere solent, si liquidis, in *ε*, quo fit, ut inter Dorienses *ε* magis repudiantes et Ionas ad eam ipsam litteram inclinantes medium quendam teneant locum. Arcades vero *ε* pro *α* substituerunt in hisce vocabulis:

ἐσδέλλοντες (*ἐκβάλλοντες*), *ζέλλειν*, *κάζελε*, *ἔζελεν*, quae formae originem a rad. *gal* trahunt (Curt. griech. Etym. pg. 416).

ἐλίκη (salix), quod nomen Theophrasto auctore (hist. plant. III, 13) Arcadibus proprium erat.

Θελπούσα, quod a rad *ghar* derivare conor (*θελ*: *θερ*-*σελ*: *σερ* Curt. l. c. pg. 433 sq.).

δέρεθρον, *ζέρεθρον* (*βάραθρον*), quibuscum fortasse *Δέρεα* cohaeret, ut e rad. *gar* profluxerit (Curt. l. c. pg. 419).

Ἐρίων.

Θερσίλιον, *Θρεσθάσιον*, si jure a rad. *dharsh* repetenda sunt (Curt. l. c. pg. 232).

Θιμοκρέτης, *Πολυκρέτεια.*[8])

Non recedit a vulgari lingua *Τεγέα*, si cum *στέγη* e rad. *stag* orto comparandum est, (de sibili aphaeresi cf. Curt. l. c. pg. 624 sq.) neque suspitionem oppresserim, in *Βερβενίους* et *Μέρβαλος* *ε* ex *α* manasse, cum in exemplis modo commemoratis *α* ante duas consonas, quarum altera liquida sit, in *ε* versum esse viderimus. E quo consequitur, ut Arcades non solum in syllabis apertis crebrius, quam lingua vulgaris *α* ante liquidas litteras in *ε* attenuarint, sed etiam in clausis, ubi haec, si *βάλλω*, *θάλπος*, *θάρσος* respicis, originariam vocalem religiosius tuetur. Quantum enim e radicum et stirpium conspectu, quem Curtius in altero elementorum etymologiae libro dedit, eruere potui, id tenendum est, *α* initiale et intermedium maxime ante simplex *ρ* et *ν*, rarius ante simplex *λ* et *μ* in *ε* abiisse. Cum vero e dialecto arcadica frequentia subveniant vocabula, quae liquida sequente hunc transitum confirment, deficiunt ea, in quibus littera nasalis eum effecit, quin *κάν* huic mutationi repugnat. Aliter res se habet in lesbiaca, quae *ε* in *κέν* *Ἄρτεμις*, *-μεθεν* exhibet.

Quid ergo mirum, quod in hac quoque *κρέτος* et *θέρσος* et apud Paphios, Arcadum consanguineos, *ἔρ* pro *ἄρα* deprehendimus? Vel Boeotos, qui in multis vocabulis genuinum *α* conservarunt, ab hac mutatione non prorsus abhorruisse, *Ἐρχόμενος* et *Τρεφώνιος* docent. Etiam ionicae dialecti hac in re quaedam similitudo est cum arcadica. Iones enim non minus studiose ante liquidas *α* in *ε* flectebant, nisi in *μιερός*, *φιερός*, *σίελος*, *ὕελος* praecedentis *ι* vel *υ* vim agnoscere malis, et Homerus vocabula *βέλεμνον*, *βέρεθρον*, *Θερσίτης*, *Ἀλιθέρσης*, *Θερσίλοχος*, *Πολυθερσείδης* praebet. E quo ne colligas Ionas quam

8) Secundum ea, quae de inscrr. 1513. 1538 aetate supra diximus, *Λεξικράτης*, *Ἀστυκράτης* ingruenti sermoni attico attribuenda sunt.

saepissime α in ε mutasse, sed potius in his affectionibus dialecti cum libertate quadam versantur, eas modo observantes modo neglegentes (cf. hom. τέσσαρες, τάμνω, herod. τράπω, μέγαθος).

Ut liquidae litterae ε adamant, sic nasales ο, qua de caussa in dialecto lesbiaca ἀνά, ἀνίαρος, γνάφαλλον, ταμίας, δάμαρτις e consuetudine, qua α simplice potissimum nasali subsequente obscuratur, fuscum sonum asciverunt (cf. Hirzel, Zur Beurth. des äol. Dial. pg. 10 sqq. Ahr. I, 76). Attamen ab his ea vulgaris linguae vocabula sejungamus oportet, in quibus ad graviorem sonum efficiendum e ratione universae linguae Graecae communi ε in ο vocalem transiit, velut στόνος, δόμος e radd. στεν δεμ progenitis. Inde autem, quod omnibus dialectis aeolicis obscurarum vocalium studium inest, cui rei primus Curtius lucem attulit, (Bemerk. z. griech. Dialectol., Gött. Nachr. 1862) planum fit, non solum apud Thessalos ἀνά et ἀνάλωμα sonuisse ὀν et ὀνάλουμα, sed etiam ante liquidas ο α vocalis vice functum esse. Ne repetam, quod jam illi viri doctissimi dixerunt, ea tantum exempla adscribam, quae Lesbiis cum aliis Aeolensibus communia sunt. Succurrunt στρότος Πορνοπίων ἔφθορθαι, quorum illa cum boeot. καλλίστροτος πόρνοψ et thess. στροτάγημι κόρνοψ, hoc cum arc. ἐφθορκώς (I. Teg. v. 11) conferas. In perfecto enim tempore hanc obscuram vocalem inveterasse, demonstrant lesb. τέτορθαι, μέμορθαι, quae cum hom. δέδορκα ἐγρήγορθα et att. πέπονθα comparaveris. Huc faciunt cypr. κόρζα et στροπά. His quodammodo arc. Ὀρχομενός adjungendum est, at στρατός, quod supra annotavimus, ἀγκαρυσσόντω et ἀνάλωμα (I. Teg. vv. 18. 43) indicant hanc dialectum communi studio modeste obtemperasse. Dorienses quoque, si γρόφω et τέτορες spectaveris, obscurationem non prorsus respuisse intelleges. Ut de glossis βόρταχος, κόρτερος aliis taceam, quas, cum omnes dialecti vocali ο faveant, non potest dijudicari, e qua deprompserit Hesychius, πόρνοψ, ἔφθορκα, κόρζα, στρότος, στροπά arguunt, apud Aeolenses origina-

rium *α* et ante et post consonarum conjunctiones, quibus *ϱ* littera insit, saepius, quam in vulgari lingua permutatum esse. Restat, ut de *δεκόταν* et *ἑκοτόμβοια* (C. I. G. 1513) disseram, in quibus fortasse *κ* littera caussa fuit *α* vocalis in *ο* mutandae. Nam et ante et post litteram gutturalem in omnibus dialectis *α* passim in *ο* abiisse, id quod Ahrensius negavit, (II, 582) dor. *κόθαρος* et vulgare *δοκέω*, *κοχώνη*, *ὀκτώ*, *εἴκοσι*, si cum *καθαρός* et sanscr. *daças*, *kakshas*, *ashtaû*, *vįçati* comparantur, evidenter declarant (cf. Curt. l. c. 644).

Antequam ad molles vocales considerandas transeo, paucis adumbrabo, quibus finibus dialectus arcadica longae *α* vocalis usum circumscripserit. Longas vocales, quippe quae majore pondere sint, brevibus multo rarius mutationes pati, inter omnes constat. Unde apparet, cur Aeolenses eo, quod hanc vocalem in syllabis et stirpium et terminationum curiose tuiti sunt, cum Doriensibus concinuerint, dissederint ab Ionibus, qui etiam in hac re *ε* vocalis amorem comprobant. Sufficiat, ne exemplis cumulandis obtundam, hasce voces arcadicas ex inscriptione Tegeatica delibatas oculis proponere: *στραταγοί*, *ἁλιασταί*, *δαμοσίων*, *ζαμιόντω*, *ἀγκαρυσσόντω*, *ἀπυέσθω* 9), *ὑπᾶρχε* et articuli formas *τᾶς*, *τάν*, quibus e cyprica dialecto *ἐρουά*, *δαματρίζειν* conferendi caussa addo (cf. Kuhns Zeitschr. IX, 365 sqq.), e lesbiaca *ἄδυ*, *σελάνα* (cf. Hirzel, l. c.), e boeotica *ἰράνα*, *νικάσαντες* (Ahr. I, 181 sq.), e thessalica *ψάφισμα*, *ἀρχά* (Ahr. II, 528 sqq.), ex elea *δᾶμος*, *Ϝράτρα* (Ahr. I, 229). Quin etiam homericae, si *Ἑρμείας*, *ἄσμενος*, *ἆλτο* respexeris, aeolicam speciem non injuria adjudicabis.

---

9) Facio cum Michaëli, qui huic imperativo ab *ἀπύειν* deducto in judicium vocandi notionem tribuit (Jahns Jahrb. 1861, pg. 589). Verborum enim contextus hic est: *ἀπυέσθω δὲ ὁ ἀδικήμενος τὸν ἀδικέντα ἰν ἁμέραις τρισὶ ἀπὺ ᾇ ἂν ἀδίκημα γένητοι, ὕστερον δὲ μή.* Aliter hunc locum interpretatur Bergkius, cum formam ab *ἀφίημι* derivet (cf. Comment. pg. 13).

At Arcades et Boeoti cum ceteris eo discrepant, quod congruentes cum Doriensibus passim *α*, ubi illi *ω* assumpserunt, pertinaciter retinent. Nam Boeoti et Dorienses pro *πρῶτος* dicebant *πρᾶτος*, hi et Arcades *Θεαρίδας* (Ahr. II, 181, C. I. G. 1538) *Ποτιδάν* (dor.) *Ποσοιδάν*, *κοινᾶνας*. Huc autem ne trahas *Σαοικλῆς*, (C. I. G. 1514, contra 1512 *Σωσίας*) cujus *α* ex *α* + *ο* ortum est, cum hae vocales apud eos in *αυ* coaluerint. Dialectus igitur arcadica, quam brevi *α* vertendo vidimus ad lesbiacam prope accedere, longo *α* servando adaequat boeoticam.

Quodsi pro a *ε* et *ο* substituta invenimus, ejus naturae non repugnat, sed potius convenit, has vocales, ubi jam in vulgari lingua appareant, in illa amplius emollitas esse in *ι* et *υ*, qua affectione dialectus italicum quodammodo colorem accepit. Nam praeterquam quod, si cyprici *κόρζα*, lesbiacorum *ὄμολος δόμορις* et dorici *πέτορες* memineris, idem *o* etiam latinis *cor*, *semol*, *domina*, *quattuor* inhaeret, ea linguarum italicarum inclinatio, qua *e* in *i* acuitur, *o* offuscatur in *u*, multo pervagatior est. Comparando enim comperimus, vocabula *quinque animus in naribus* respondere graecis *πέντε ἄνεμος* et antiquioribus formis latinis *en navebos* et oscum *amiricatúd*, umbrica *prufe kvestur* latine sonare *immercato probe quaestor*. Inter haec vocabula extat unum, quod et forma et usu cum arcadico plane conspirat, dico praepositionem *in*. Haec enim apud Arcadas, qui eam et separatim (I. Teg. vv. 2. 4. *ἰν τοῖ ἔργοι*, *ἰν ἀμέραις*) et conjunctim (vv. 24. 35. 38: *ἰμφαίνεν*, *ἴνδικον*, *ἴγγυος*) adhibebant, modo dativum modo accusativum recipiebat, (vv. 20. 39. 52. *ἰναγόντω ἰν δικαστήριον*, *ἰν ἔστεισιν*, *ἰν ἐπίκρισιν*) qui mos etiam apud Paphios Boeotos Thessalos et septentrionales Doriensium stirpes vigebat. (cf. Ahr. I, 213. II, 529, 359.) Quod autem Kuhnius vult, (Kuhn's Zeitschr. IX, 368) hoc *ἰν* sibilo detrahendo ex *ἰνς* mutilatum esse, mihi propterea non arridet, quia, si *ν* cum *σ* concurrit, nasalis littera evanescere solet, (cf. dor. *τός* pro *τόνς*) contra *ἰς*, quod in serioris aetatis inscriptionibus cernitur, (cf. Ross, Inscr. ined.

n. 121: ἰσηγησαμένου, ἰς τὴν πατρίδα) itacismum sapit. Quae vocalis ε attenuatio non modo artis arcadicae dialecti finibus continetur, sed etiam in cypricam irrepsit, quod intima earum cognatione explicatur. Hesychio enim auctore, qui glossas ἰμπάτάον· ἔμβλεψον, ἴγκρος· ἐγκέφαλος (cf. κάρα, ἰν φάος· εἰς τὸ φῶς tradidit, (cf. Bergk, l. c. pg. 7, not. 12) eandem praepositionis ἐν formam Paphiis assignemus oportet, immo glossis πιλνόν· φαιόν, ἴγγια· εἶς, quae cum πελός et semel cohaerent, (Curt. l. c. 643) manifestum est, ι apud hos latius patuisse. Ejusdem affectionis vestigia in ceteris dialectis et lingua vulgari deprehenduntur. Ut enim ὀψίγονος omittam, in quo ι litterae origo incerta est, (Curt. l. c. 642 sq. Lob. Elem. I, 368) ἱστία exhibent Dorienses, ἱστίη Homerus, Τιλφοῦσσα Boeoti, cum lingua vulgaris in verbis et in -μι et in -ω desinentibus, seu reduplicationis syllaba nuda seu gravata sunt, huic mutationi fere legis potestatem concesserit. Suppeditant κίρνημι, πίλναμαι, γιγνώσκω, μίμνω, quibus, si ἵππος, χθιζός, Μιλτιάδης, Στίλπων assumis, probabile fit, ε praecipue ante duas consonas attenuationi obnoxium fuisse, cum, si simplex consona subsequitur, aut dissimilandi studium (cf. τίθημι) aut sequentis ι vel υ vis (cf. hom. πίσυρες, cret. τίριος=θέρους, vulg. ἴλιγξ) depravationem effecerit. (cf. Curt. l. c. 641 sqq.) Alia caussa boeotico θιός (Ahr. I, 178) lesb. χρύσιος (I, 79) dor. Μνασίας (II, 121) subest: durarum vocalium concurrentium fuga, quae etiam in arc. Κραριῶται (C. I. G. 1514) i. e. Κλαρεῶται conspicitur. Propterea autem, quod nusquam alibi ε ante vocalem in ι permutatur, (cf. Κλητέας C. I. G. 1512 Θρασέας, Κλέας, Δαμέας 1513 Ἀμηνέας 1526 et frequentia oppidorum nomina in -έα velut Τεγέα, Ἀλέα, Κονδυλέα) suspicor, hanc formam non referre meram dialectum, sed potius dorismo infectam esse.

Si dialectos Italiae recentiores circumspicimus, nos non latet, siciliensem in similem mollitudinem delapsam esse atque arcadicam. Utraque enim *e* in *i* attenuat (sic. *fidili*=*fidele*, arc. ἰν=ἐν) et *o* obscurat in *u* (sic. *duluri*=*dolore*, *ruttu*

=*rotto*, arc. ἄλλυ=ἄλλο, ἀπύ=ἀπό, I. Teg. vv. 4. 37. 42 ἀπὺ τᾷ (sc. ἁμέρᾳ), ἀπυτεισάτω, ἀπυκαθιστάτω). Nam inter ἀπό et ἀπύ mediam formam ἀπού praesumendam esse e boeotica dialecto liquet, quae breve ου, ubi ceterae υ praebent, seu originarium (cf. γλουκούς, τούχα) seu ex ο ortum (Ἀπολλούδωρος, ἀργούριον, Θεούμαχος) asservavit (Ahr. I, 180 Rang. II, n. 1306 Gött. Nachr. 1862, pg. 495). Quacum congruit thessalica, quae vocum in -ο dativum sic format, ut stirpis ω, in ου deflexum, et dativi nota ι in ου coeant, cum in illa ου + ι in υ contrahatur. Inde nascitur thess. ἱαροῦ ex ἱαρό-ι, ἱαρού-ι, boeot. δάμυ e δάμο-ι, δάμου-ι (cf. *hu-i-c* ex *ho-i-c*, *utile* ex *oitile*, osc. *Abellanúí*). Aliae autem dialecti pro *u* vocali (ου) tenuiorem υ receperunt. Nam ο mutatio in υ non modo Arcadibus propria, sed etiam frequentior erat apud Lesbios, qui ο et principale (ὔμοιος, ὔρνις) et intermedium (ὄνυμα, στύμα) et finale (ἀπύ, δεῦρυ) hoc modo diluebant nasalibus et liquidis praecipue vicinis. Quam rem, cum ab Hirzelio (l. c. pg. 13 sq.) et Ahrensio (I, 81 sq.) accurate exposita sit, non longius persequar, sed tantum moneo, Oscos et Umbros, si osc. *allo famelo*=*alia familia*, *viú*=*via*, umbr. *kanetu*=*canito*, *termnu*=*termino* respicias, similiter in verborum exitu vocales obscurasse atque Aeolenses. Nomina Στύμφαλος, Μυλάων, Μανθυρέα, cum incertae originis sint, praetermitto. Itaque, nisi quis ad Ἀριστώνυμος confugerit, quod etiam in lingua vulgari υ ex ο ortum prae se fert, nullam inveniet vocem arcadicam, in qua intermedium ο in υ abierit. Ex aeolico autem sermone non raro υ in vulgarem irrepsisse demonstrant πρύτανις, αἰσυμνήτης, πανήγυρις, Ἔφυρα, Σίσυφος, Ζέφυρος, et Homerus quidem, quem jam saepe Aeolensium morem secutum esse cognovimus, fuscum sonum in πίσυρες, ἀσύφηλος, νύματος (e πύσματος cf. osc. *posmos*) ἄλλυδις, ἐπασσύτερος, τηλύγετος adoptaverit. E dialecto dorica huc pertinet glossa cretica τυΐ· ὧδε, qua lesbiacus locativus πήλυι in mentem revocatur. Arcadica igitur, cum ο depravando congruat cum lesbiaca, eo tamen attenuationis non procedit, ut υ, si ex

antiquo *u* fluxit, in *ι* corrumpat, (cf. I. Teg. vv. 46. 55. ὑπερ-αμέροις, ὑπᾶρχε) a qua affectione neque haec (cf. ἰπέρ, ἴψηλος Ahr. I, 81) neque cyprica (cf. ἰ=ὑπό, κιμαί=χυμοί, κίν σύν Hesych.) abstinuerunt (cf. lat. *fructi-bus*, *mani-festus hari-spex*). De altera Paphiorum ratione, qua pro *υ* ponitur *ο* (ἰγκαφότευε, Θορύνδις) disputare a quaestione nostra satis alienum est (cf. Curt. Gött. Nachr. pg. 496 Grundz. pg. 500 Kuhns Ztschr. IX, 366).

Inde autem, quod Arcades, ut supra ostendimus, a vocalibus longis dirimendis aversi fuerunt, elucet, cur *ω* transitum in *οῦ* vel *ῦ*, quem aliae dialecti admiserunt, exemplis comprobare non possimus. Cyprico enim ἄρμυλα et thessalico ὀνάλουμα, quocum lesbiacum χελύνη e χελώνη generatum comparari potest, respondent arc. ἄρμωλα et ἀνάλωμα. Aliter de vulgari ἀλωή, ἐρωή judices, quae, cum productione vicaria adhibita ex ἀλοϜ-ή et ἐροϜ-ή manaverint, antiquitate non superant cyprica ἀλουά et ἐρουά, in quibus digamma in vocalem mutatum est, (cf. cypr. ὕεσις= *vestis*) contra Thessalis, e quorum dialecto non pauca illius transitus exempla proferri possunt, (cf. Κραννουνίοις, τοῦν ταγοῦν, Φείδουνος, γνούμας Ahr. II, 529) *ου* vocalis amorem quendam non injuria tribues.

Cum lingua vulgaris formam ἀπό, quae inter sanscr. *apa* et arc. lesb. ἀπύ media intercedit, tenaciter servaverit, nusquam remansit formae κατό vestigium, quae eandem sedem inter vulg. κατά et arc. κατύ haberet. (I. Teg. vv. 29. 11. 40. 45. 49. κατὺ μῆνα, κατὺ τᾶς πόλιος, ποσκατυβλάψη, κατυστάση, κατυφρονῆναι.) Attamen ex earum vocum analogia, in quibus linguae cognatae formam *ο* vocali praeditam offerunt, colligere licet, extitisse aliquando κατό, quod aeolico more in κατύ offuscatum sit. Rem ita sese habere, documento sunt lat. *nox* et *mola*, quem pronuntiationis gradum, cum stirpes antiquitus *nak* et *mol* sonuerint, lingua graeca νύξ et μύλη recipiendis quodammodo transiluit. Ut enim inter *α* et *ι* in medio situm est *ε*, sic *ο* inter *α* et *υ*. (cf. lat. *tanta multa*, osc. *etanto molto* = umbr. *etantu mutu*.)

Qui mediarum formarum defectus, quem, si graeca vocabula cum sanscritis componuntur, non raro cognoscimus, (cf. Curt. Grundz. 644 sqq.) in dialectis manifestius apparet, cum illi arcadico κατύ lesbiaca σύρξ, Βέκχις, βέθος (Ahr. I, 78) hom. ἄμυδις, σκύφος (Od. ξ, 112) et dor. ἔγκυτον [10]) adjungere possimus.

Quibus explanatis *apertum est, dialectos aeolicas in duas classes dividendas esse: alteram effici thessalica, boeotica, fortasse etiam elea*, quae multis rebus doricam aequiparent, alteram *arcadica, cyprica, lesbiaca*, quae mollibus sonis adamandis ad ionicam propius accedant. Arcadica vero, cum longis vocalibus religiose servandis consentiat cum boeotica, cum lesbiaca enixe brevibus attenuandis, inter has similem locum medium obtinet atque Arcadia ipsa inter terras, ubi hae regnant et vigent.

Quae condicio ut celerius perspiciatur, permutationum conspectum, quas breves vocales in dialectis aeolicis passae sunt, oculis proponam:

α	ε	ο
thess. ἱαρός		κόρνοψ
el. ἐπίαρος		
boeot. διακάτιοι	Ἐρχόμενος	πόρνοψ
arc. τριακάσιοι	κρέιος	ἐφθορκώς
	cypr. ἔρ	κόρζα
	lesb. κρέτος	ἔφθορθαι
υ pro α	ου, υ pro ο	ι pro υ
	thess. ἱαροῦ i. e. ἱαρού-ι	
	boeot. Ἀπολλούδωρος	
arc κατύ	ἀπύ	
		cypr. ἰ
lesb. σύρξ	ἀπύ	ἰπέρ

10) Hac glossa laconica Bergkii sententia confirmatur, Helotes non prorsus deseruisse dialectum aeolicam. (Zeitschr. f. Alterth.-W. 1852, 2.)

ι pro *ε*

arc. *ἰν*

cypr. *ἰν*

boeot. *θιός*

Qua arcadicae dialecti indole evenit, ut diphthongi simili fere ratione immutarentur atque vocales. Exspectabis igitur, ut ex *α* manaverit *ε* et *ο*, ex his *ι* et *υ*, sic diphthongi *αι* munere functa esse *ει* et *οι* et, ubi vulgaris lingua *οι* ostendat, *υ* ex *υι* contractum apparuisse. Quarum permutationum exempla quamquam perpauca in promptu sunt, docet tamen, quam recte conjeceris, particula *εἰ*, (*εἴ καν*, *εἰ δέ* I. Teg. 2. 6 saep.) quae apud ceteros Aeolenses et Dorienses speciem prae se fert *αἰ*, quamque non attribuerim ingruenti sermoni attico. An credideris longum *α* Arcadas debere Doriensibus, *ᾰ* in *ο* et *υ* obscuratum Lesbiis, *ᾰ* in *ε* et *ι* attenuatum Ionibus? Itaque *εἰ* vernaculum duco, nisus dialecti natura et simillima depravatione, quam indicativi perfecti et conjunctivi praesentis medii terminatio experta est. In his enim formis tertia persona singularis in -*οι* desinit, non in -*αι*, quod bene quadrat in sententiam nostram, in verborum exitu facilius vocales obscuriores fieri (cf. *ἀπύ*, *κατύ*). Praesto sunt in inscriptionis Tegeaticae versibus 2, 10, 16, 17, 36, 37, 5 hi conjunctivi praesentis et aoristi: *γίνητοι*, *δέατοι*, *ἐπισυνίστατοι*, *λυμαίνητοι*, *ἰνδικάζητοι*, *δικάζητοι*, *γένητοι* et haec perfecta *τέτακτοι*, *γέγραπτοι* (vv. 46. 53). Aliud autem -*οι*, cui atticum *ει* respondet, in *Ποσοιδάν* conspicitur, quod, quin genuinum sit, ne paullulum quidem dubito, praesertim cum lesb. *ὄνοιρος* adjumento sit ita, ut, si cret. *αναιρος* att. *ὄνειρος* lesb. *ὄνοιρος* inter se comparamus, eandem, ut ita dicam, diphthongi *αι* descensionem animadvertamus, quam *α* vocalis, si dor. *ἅρπετον* ion. *ἕρπετον* lesb. *ὄρπετον* boeot. *πέτταρα* ion. *τέσσερες* dor. *τέτορες* componimus. Coartationem autem illam, qua *οι* per medium gradum *υι* in *υ* transit quaeque maxime apud Boeotos in usu erat, (cf. *τὰ λυπά*=*τὰ λοιπά*, *τῦς ἄλλυς προξένυς*, *Φυκία*, *Θύναρχος*, *Ἀνεμύτας* Rang. II,

n. 705 sq. Ahr. I, 191) Arcades repudiasse videntur. Nam cum *κοινός,* (I. Teg. v. 55) cui ion. *ξυνός* proximum est, et *Ἀρκοίας* (C. I. G. 1512) dixerint neque dativum in -*οις* oblitteraverint, formam *Δεινέτα*, quam Bergkius e Pausaniae epigrammate (l. VI, 8, 2) deprompsit, quippe quae in genetivi terminatione non referat patriam dialectum, eis abjudicaverim. (cf. Bergkii Comm. pg. 4, not. 3.) Omnino hic transitus *οι* diphthongi in *υι* vel *υ* rarissimus est. Ego quidem, ut in ambiguo relinquam, utrum in *ἀγυιά, Ἅρπυιαι, μητρυιά* (cf. Lob. El. II, 28) *υι* ex *οι* ortum sit necne, lesb. *Κύμη* e *Κώμη* derivare malo, quam e *Κοίμη*, cum illi *χελύνη* subsidio sit. (cf. Hirzel l. c. pg. 20. Curt. Grundz. pg. 134 sq.) Hoc diphthongos in simplices vocales deminuendi odio Aeolenses, exceptis Boeotis, qui etiam *ει* in *ι* comprimebant, (cf. *ἶμι, ἱράνα* Ahr. I, 189) cum Romanis et Umbris discrepant, quorum *oi* in *u* et *i* abiit, (cf. antiqu. lat. *oinvorsei, moiro, coira* =rec. *universi, murus, cura,* umbr. *adrir=atris*) cum Osci diphthongum *oi* non contererant (cf. *múínikad*=communi, *úítiúm*=usum, *lígatúís*=legatis, v. Corssen: Volsc. ling. pg. 37, tab.). Diphthongum *αυ* obscuratam esse, nullo comprobatur exemplo, nisi cypr. *ἄγχουρος*, sed jam haec pauca sufficiunt ad ea, quae de vocalibus diximus, comprobanda.

Progrediar ad eas diphthongos considerandas, quae contractione natae eandem attenuandi rationem secutae sunt atque vocales. Nam, quod primo oculorum conspectu mirum et insolens videtur esse, Arcadas nominum in -*α* exeuntium genetivum formasse in -*αυ*, in eo ipso, de quo modo locuti sumus, studio positum est. Genetivi enim *ζαμίαυ, ἐσδοκαῦ, ἐργωνίαυ* (I. Teg. vv. 21. 41. 44), *Ἀπολλωνίδαυ* (C. I. G. 1514), *Θρασέαυ, Εὐμηλίδαυ* (Boeckh. contra Leake *Εὐμενίδαυ*), *Εὐπράκταυ* (C. I. G. 1513) quamvis inter se differant sic, ut feminina in se receperint suffixum *jos,* masculina -σjo, eo tamen congruunt, quod suffixis in -*ο* mutilatis stirpis *α* cum sequente o in *αυ* coalescit. Quod quid aliud est, quam finali *ο* in *υ* obscurato vocalium contractio? Cum igitur in dialecto lesbiaca, dorica, attica, si *α* et *ο*

concurrunt, plenum et clarum *α* superet obscurum *ο*, (cf. *χώρας* e *χώρα-ος*, *Κρονίδα* e *Κρονίδαο*) arcadica *ο* in *υ* emollit, quam affectionem jam saepius attigimus. Quae contrahendi ratio Arcadibus communis erat cum Boeotis et Macedonibus, quos inscriptiones et grammatici testantur *Σώμηλος Σωκράτης* et *πύλωρος σωτηρία*, quae e stirpe *σαο* (cf. hom. *σάος*, *σόος*, *σῶς*) et *πυλά-ορος* defluxerint, *Σαύμειλος*, *Σαυκράτειος* et *πύλαυρος*, *σαυτουία* pronuntiasse; immo vero suspicabimur, boeot. *Δαφίταο* et thess. *Ἕρμαο* similiter sonuisse, atque arc. *Θρασέαυ*, praesertim cum boeot. *Ἀεσχρώνδας*, cypr. *θοράνδις* et ion. *λευκοῖς*, *φευγεῖν*, *ἑαυτοῖς* spectemus. Neque autem opus est, ut illa attenuatio analogia sustentetur, ad has satis remotas dialectos recurrere, sed jam notiores praesidii aliquid afferunt, cum apud Lesbios, Dorienses et Ionas *ε* et *ο* in *ευ*, (cf. lesb. *μοχθεῦντες*, dor. *ὄρευς Θεύδοτος* Ahr. I, 103. II, 213. hom. *θέρευς*, *καλεῦντες*) apud Atticos *ο* et *ο*, *ε* et *ε* in *ου* et *ει* coeant. Qui harum vocalium concursum incorrupte et integre contemplatus erit, is mihi concedet, re vera non simplicem contractionem, sed emollita demum vocali altera utriusque in unam syllabam comprehensionem factam esse. Contra *εε* in *η*, *οο* in *ω* dorica ratione contrahuntur. Fit hoc in genetivis arcadicis *τῶ ἔργω*, *τῶ ἐπιζαμίω* (I. Teg. vv. 14. 38.) *Μόσχω*, *Οὐτίω* (C. I. G. 1514. 1513) et participio *ἠργασμένων* ex *ϜεϜεργασμένων* orto, quod in lesb. *ἦχες* et dor. *ἀγῆται* optime quadrat (Ahr. I, 90 II, 201 sqq.), contra genetivo *τᾶς*, qui e *τᾶος* fluxit, et imperativo *ζαμιώσθω*, (I. Teg. vv. 20. 28.) quocum lesb. *τῶπος* i. e. *τὸ ἔπος*, boeot. *Τιλφῶσσα* et dor. *δουλῶται* compares, manifestum est, vocalium diverso colore, si simpliciter contrahantur, praeponderare priorem. (Ahr. I, 91. 202. II, 203 sqq.) Sed redeamus ad *Θρασέαυ*, quod fere inconsulte e conspectu amisimus. Sunt enim, qui arbitrentur, hoc *-αυ* ex inaudito quodam suffixo *-Ϝο* progenitum esse, quo genetivum antiquissimo tempore significatum esse statuunt. Sed nihil habent, quo hanc sententiam confirment, praeter formam unam: *ΤλασίαϜο*, quae in cor-

cyraea inscriptione extat, et thessalico genetivo *σατύροι*, *ἑαυτοῖ*, *Σιλάνοι*, (Ahr. II, 529) quibus finale *ο* detractum est. (cf. Kuhns Zeitschr. I, 118 sqq. Savelsberg, de digammo pg. 7, not. 1.) Linguae autem cognatae luculenter demonstrant, antiquissimam apud Graecos suffixi ad genetivum horum vocabulorum significandum facti formam *-σjο* fuisse, quae post sibili interitum aut spirante littera in vocalem versa in *-ιο* (cf. hom. *ἵππο-ιο*, *Πριάμο-ιο* Rhein. Mus. A. F. II, 1843 pg. 161 sqq.) aut eadem elisa (hom. *Ἰλίο-ο*, *Αἰόλο-ο* Fleckeis. Jahrb. 1867) in *-ο* abierit. (cf. Curt. Grundz. pg. 394. Gött. Nachr. 1862 pg. 493. Fleckeis. Jahrb. 1861, pg. 592.) Nam digammatis transitus in *ι*, quem illi statuere debent, aeque inusitatus est atque sibili in digamma mutatio, quam Christius commendat, (Griech. Lautlehre pg. 174) neque exemplum afferri potest, ubi hoc in vocis exitu vocalis formam induerit. Ceterum de illo Corcyraeorum *Τλασίαϝο* cf. Curt. Grundz. p. 534.

Restant quaedam vocalium affectiones, quas productio vicaria generavit. Exempla, ubi neglecta est, ut in principio collocem, primum attingo *βολόμενον*, (I. Teg. v. 24) in quo consonam aliquam, fortasse *ν* (cf. Curt. Grundz. 483), omissam esse, boeot. et cret. *βωλόμενον*, lesb. *βολλόμενον*, att. *βουλόμενον* indicant. Concinit cum arcadica forma cypr. *βόλε* (Hesych. *σί βόλε. τί θέλεις;*) et hom. *βόλομαι*, quod poëta ter exhibuit (*βόλεται* Il. λ, 319. *ἐβόλοντο* Od. α, 234, *βόλεσθε* Od. π, 387 cf. lat. *volo*). Quod *βολόμενον*, quocum lesb. *ὄρανος* et *κόρα* conferas, (Ahr. I, 101) me movet, ut credam, accusativum in *-ος* (*τὸς ἐπισυνισταμένος* I. Teg. v. 53) non dorico sermoni deberi, sed Arcadibus vernaculum fuisse, praesertim cum dialecti aeolicae consonas compensandi ratione inter se discrepent. Boeoti enim ita producunt vocales, ut *α ε ο* in *ᾱ ει*, quod ipsorum more pro *η* positum est (cf. *πατείρ τίθειμι* Ahr. I, 183), *ω* mutentur (cf. *πᾶσα*, *σταθεῖσα*, *ἐσγόνως* Ahr. I, 201), Lesbii has vertunt in diphthongos *αι ει οι* (*παῖσα*, *τίθεις*, *νόμοις* Ahr. I, 70 sq.), contra Thessali productionem vicariam

spernere videntur (cf. ἵππος Ahr. II, 529. 533), qua re cum Arcadibus congruunt. Huc infinitivos ἰμφαίνεν, ἐπηρειάζεν, ὑπάρχεν (I. Teg. vv. 29. 48. 55) referre cunctor, quod, si syllaba finalis demitur, haec productio non solet usurpari, (cf. ἀμυνέμεν, εἰπέμεν, δόμεν, nusquam ἀμυνέμην vel ἀμυνέμειν) potius putaverim, cum duae extent terminationes -εναι et -ναι, illis adjunctum esse -ναι vel -ν, (cf. cret. ital. delph. φέρε-ν, ἀγαγέ-ν Ahr. II, 303) lesbiacis συμφέρην, συνέχην, (Ahr. I, 89) laconico σιγῆν, (θεγεῖν Ahr. II, 158) atticis φέρειν, ἔχειν terminationem -εναι vel -εν, cujus ε cum stirpis ε apud Lesbios et Lacones in η, (cf. lesb. ἀγῆται = ἀγέεται, lac. αἰρῆσθαι) apud Atticos in ει coaluerit (cf. Studien I, 2 p. 34). Lesbii enim, si φέρεν detracto αι produxissent, non φέρην dixissent, sed φέρειν. Stirpibus autem in vocalem desinentibus -εναι vel -εν annecti posse, plane declarant θεῖναι et δοῦναι h. s. θέεναι et δόεναι. Ceterum apud Thessalos et Boeotos infinitivus in -μεν exiit. (cf. thess. ὑπαρχέμεν, ἐνγραφέμεν Ahr. II, 529 boeot. κριδδέμεν Ahr. I, 175, de boeot. δικάσδεν cf. Bergk Comm. pg. 15 et de lesb. λέγην Hirzel l. c. pg. 20, not.) Controversia est de optativo φθέραι, (I. Teg. v. 8) utrum lapicidae incuriae, qui *E* pro *EI* insculpserit, debeatur an ab Arcadibus vere usurpatus sit, quarum sententiarum illam defendit Michaëlis, (l. c. pg. 591) hanc Bergkius (l. c. pg. 13). Et ego quidem huic assentior. Nam quamvis *E* pro *EI* usque ad quartum saeculum medium scriptum esse constet, tamen nusquam alibi in inscriptione Tegeatica *E* diphthongi *EI* munere fungitur, verum productionem vicariam neglectam invenimus in τὸς ἐπισυνισταμένος et, id quod gravissimum est, aoristus ἔφθερσα (lesb. ἔφθερρα) in Arcadum dialecto adhibita productione suppletoria non sonaret ἔφθειρα, sed ἔφθηρα. Comprobatur hoc formis φθήρων, ἰγκεχηρήκοι et ἦναι (I. Teg. vv. 17. 12. 10).

In illis enim j evanescente e φθέρjω, χέρjω factum est φθήρω, χήρω, (cf. lesb. χήρ e χέρις, χέρς) ex ἔσναι sibilo remoto ἦναι, cum Attici j in stirpis syllabam transposuerint

(cf. κτείνω=κτένjω, φαίνω=φάνjω). Infinitivus igitur ἦναι, quae forma antea nobis ignota erat, in infinitivorum conspectum redigitur sic:

arc.	ἦ-ναι	dor. sev. et boeot.	ἦ-μεν (boeot. scrib. more εἶμεν)
att.	εἶ-ναι	dor. mit.	εἶ-μεν
lesb. hom.	ἔμ-μεναι	hom.	ἔμ-μεν
hom.	ἔ-μεναι	hom.	ἔ-μεν

Porro productio vicaria fortasse inest formis γίνηται, γίνεσθαι, γινόμενον, (I. Teg. vv. 2. 9. 20) cum γ ante ν dejectum sit. (cf. dor. γίνομαι Ahr. II, 112.) Attamen non tacebo, longum ι per *EI* in ἀπυτεισάτω (I. Teg. v. 37) i. e. ἀπυτινσάτω expressum esse, nisi hunc imperativum ex eadem aucta stirpe τει manasse malis, e qua ἀπυτειέτω et ἔστεισιν (ἔκτισιν, I. Teg. vv. 45. 39. cf. dor. ἀποτεισάτω Ahr. II, 184). Multo autem majorem explicandi difficultatem affert σφείς, (I. teg. v. 10) quod Michaelis pro accusativo venditat, (l. c. 593) Bergkius (l. c. pg. 13) sic intellegi vult, ut ι transposito e σφισί ortum sit σφῖς, quod lapicida aliquo more scripserit σφείς. Profiteor, mihi magis arridere Bergkii opinionem, eo tantum dissentio, quod suspicor, σφείς, cum pronominis stirps σφε sit et Demosthenis aetate ει pro ε scribendi usus fuerit, (cf. δείηται pro δέηται Franz, El. epigr. 150) ι abjecto e σφε-σί provenisse. Michaelis enim argumentum, quo δέαμαι eodem iure cum accusativo conjungi possit atque ἰν praepositio, nullum mihi videtur esse, neque verborum collocatio [11]) sententiam probat, accusativum σφείς e κωλύων pendere.

Quibus expositis apertum est, dialectum arcadicam in ceteris quoque mutationibus, quae vocales et diphthongi patiantur, a natura indoleque et ipsius et aliarum aeolicarum non recedere.

---

11) Verba haec sunt: εἴ καν δέατοί σφεις πόλεμος ἦναι ὁ κωλύων ἢ ἐφθορκὼς τὰ ἔργα.

De consonarum permutationibus.

Cum vocales summo jure liquida linguae elementa nuncupatae sint, consonae dura, non mirabere, Arcadas in his servandis tenaciores fuisse nec nimium ab aliis gentibus dissedisse. Nam ut ab eis consonis exordiar, quibus vocabula speciem quandam antiquitatis acceperunt, primum commemoro *ἐσδοκά* et *Κραριῶταν*, quorum vocabulorum prius non subiit aspirationem illam non sane antiquam, quae in *δέχομαι* conspicitur (cf. lesb. dor. ion. *δέκομαι* Ahr. I, 43. II, 82. hom. *τετύκοντο* Il. *α*, 467), posterius retinuit asperiorem *ρ* litterae sonum, quem vulgaris sermo in *λ* emollivit (cf. *κλῆρος*). Quae attenuatio, quam lente apud Atticos progressa sit, demonstrant *πάνδοκος ναύκραρος* et duplices stirpes *ἀλκ* et *ἀρκ*, *σελ* et *σερ*, *κελ* et *κερ* (cf. *βουκόλος* et *αἰγικορεῖς*), *μελγ* et *μεργ*, quae notioni subtilius discernendae inserviunt (cf. Curt. Grundz. pg. 481 sqq.).

Neque autem huc accedit *κατάπερ* (I. Teg. vv. 45. 53.) e *κατὰ τάπερ* conflatum, (cf. *κατὰ αὐτά*=*κατὰ τὰ αὐτά* v. 25) cum apud Arcadas pronomen relativum *α* littera *τ* incipiat. *Πυτίου*, (C. I. G. 534) nisi lapicidae error subest, propter *τ* litteram comparatur el. *ἐνταῦτα*, cret. *τίριος*.

Copiosius disserendum est de vocabulis *δέρεθρον δέλλειν* et *ζέρεθρον ζέλλειν*, quorum Curtius (Jahns Jahrb. pg. 591) probabile fecit illas formas Tegeatis solis proprias fuisse, has ceteris Arcadibus. Alia enim explicatio, quam quispiam suaserit, aetatum discrimen in caussa esse, (cf. *τριακάτιοι*, *δεκόταν*) propterea mihi minus placet, quod consonis multo major inhaeret stabilitas quam vocalibus. *Δέρεθρον* et *ζέρεθρον* ut his formis, unde profectae sint, explanem, ex eodem fonte fluxerunt, e quo vulg. *βάραθρον* et hom. *βέρεθρον*, dico radicem *gar* (Curt. Grundz. pg. 419), sed tenendum est, priscum illud *g*, cum ibi parasitico *j* assumpto versum sit in *δ*, hic spirantis *F* vi in *β* abiisse, quare radices *gjar* et *gvar* praesumimus. Qui litterae *g* transitus in *β*, quem ille vir doctissimus labialismum nominat, paulo

latius patet in sermone vulgari, sed dentalismum, quo *g* in *δ* mutatur, frequentant dialecti. Itaque sanscritis *gurus, g'igâmi, garbhas, galâmi, gar* respondent graeca *βαρύς βαίνω βρέφος βάλλω βορ*, (cf. lat. *venio vorare* h. s. *gvenio, gvorare*, osc. *benust=venerit*, Curt. l. c. pg. 415 sqq.) cum in dialectis *ὀδελός=ὀβελός, ὀδολκαί ὀβολοί* (dor.), *δελφός* (cf. vulg. *ἀδελφός=sagarbhjas* et lesb. *βελφίς=δελφίς, δέλλω* et *δερ* (arc.) appareant. Ne autem opineris, *δέρεθρον* antiquius esse quam *ζέρεθρον*, sed e communi radice *gjar δjερ* sic effloruerunt, ut in illo spirans littera evanuerit, in hoc praecedenti dentali assimilata sit (*ζέρεθρον=δέρεθρον*). Hanc esse duplicis consonae *ζ* originem, dilucide ostendunt lesbiaca *σδυγόν* et *Σδεύς*, in quibus ejus elementa transposita sunt. (Ahr. I, 47.) Attamen transpositionem neglexerunt Lesbii in *ζαβάλλειν, κάρζα*, (pg. 46) quibuscum arc. *ζέλλειν ἐπιζαρέω ζεύσασθαι* [12]) *πέζα*, ut Zenodoto auctore (cf. Stephani Thesaur.) Arcades et Dorienses pedem vocarunt, et cypr. *ζάει=διάει* et *κόρζα* optime concinunt. Boeoti alterum morem, quo *j* eliditur, sequuntur (*Δεύς, δυγόν* pro *Δjεύς, δjυγόν*), Arcades, qui utramque mutandi viam inierunt, mediam quodammodo sedem inter hos et Lesbios habent. Et in hoc quidem cum homerico sermone conspirant, in quo pro vetusto illo *δj* modo *ζ* invenitur: *ζάκοτος, ζάθεος, ζατρεφής* (Curt. Grundz. p. 432), modo *δ*: *δάσκιος, δαφοινός*.

Cum litteram *τ* in sibilum conversam, quae in *τριακάσιοι* cernitur, jam alio loco tetigerim, ad conjunctivos *κρίνωνσι, κελεύωνσι, παρετάζωνσι* (I. Teg. vv. S. 15. 28.) transeo, qui non minus propter dentalis depravationem, quam nasalis conservationem notatu digni sunt. Demonstrant enim apud Arcadas *ι* sequente *ι* aeque in *σ* abiisse atque apud Lesbios Cyprios et Ionas [13]), lesb. *εἴκοσι*,

12) Hesychii glossam *δευάσθαι γεύσασθαι*, quam Schmidtius arcadicam habet, majore jure Cypriis assignarim, quia sibili mutationem in spiritum asperum non aversantur (cf. *ἱμίτραόν, χραᾶρα*).

13) Ne putes nihil excipi addo *πνευμάτιος, φάτις, αἰτία*, saepius

κρύπτοισι, cypr. σί, ion. πλούσιος κρύπτουσι, cum Boeoti Elei Dorienses litteram illam tuiti sint (cf. Fίκατι, πλούτιος, κρύπτοντι), quamquam non tacebo, Boeotos recentiores tertiam personam pluralis formasse in-νθι (ἔχωνθι Ahr. I, 173, cf. συνεβάλονθο Rang. II, n. 898). Arcades vero ad hos Eleosque eo propius accedunt, quod nasalem, quae alibi ante σ evanescere solet, non eliserunt, quo fit, ut conjunctivus κελεύωνσι [14]) eundem locum inter boeot. ἴωνθι et lesb. κελεύωσι teneat, quem τριακάσιοι inter τριακάτιοι et τριακόσιοι.

Vertamus nos ad assimilationem, metathesin, apocopen alias consonarum affectiones, quarum vestigia in dialecto arcadica tenuissima sunt. Assimilatio enim non apparet, nisi in ἡμίσσοι, (I. Teg. v. 25) cujus duplex sibilus sic explicatur, ut stirpe ἡμισυ per ο amplificata ἡμισυο vel ἡμισFο in ἡμισσο transierit (cf. delph. ἥμισσον). Eodem modo stirpes πολυ et δακρυ in πολυο, πολFο, πολλο et δακρυο auctae sunt.

In metathesi quamvis difficile sit dijudicatu, utra forma speciem prae se ferat vetustiorem, indicium tamen a linguae commoditate petere solemus, qua ad duras et ingratas consonarum conjunctiones evitandas adhibetur transpositio. Habet igitur aliquid probabilitatis, arc. δαρχμαῖς (I. Teg. v. 30) servasse genuinam elementorum ordinem, qui apud Atticos in δραχμή turbatus sit. Duplicem autem transponendi rationem distinguimus, alteram eamque rariorem, qua duos sonos transilit liquida, (cf. hom. ἔκπαγλος e rad. πλαγ, dor. τράφος, θρίμβος=τάφρος, θύμβρος) alteram, qua liquida cum praecedenti vocali vel consona sedem mutat; (cf. hom. καρδίη, κάρτερος, βάρδιστος, aeol. ὄλχος, κεδροπά

---

etiam hic transitus sibilo praecedente neglegitur (πίστις: φύσις=ἐστί: τίθησι).

14) His formis arcadicis Christii opinio, inter τύπτοντι et τύπτουσι non esse praesumendam mediam formam τύπτονσι, funditus labefactatur (Chr. Gr. Lautl. pg. 117).

dor. νάθραξ, cret. Ἀφροδίτα, πορτί) ad hanc arc. δαρχμά pertinet.

Creticum πορτί aditum nobis facit ad arcadicam notabilem formam πός, quae separatim (πὸς τᾷ συγγράφοι. I. Teg. v. 56) et in compositis usurpata est (vv. 9. 40. πόσοδοι ποέντω, ποσκατυβλάψῃ). Inter hanc et att. πρός eadem ratio valet, quae inter dor. ποτί et hom. προτί, quod ad sanscr. *prati* proxime accedit, contra πός primum ante τ ρ amisit (cf. ὕδατος, ἥπατος pro ὕδαρτος, ἥπαρτος), tum ι abjecto dentalem litteram in σ convertit, (cf. θές, δός pro θέτι, δόθε) quae decurtatio, quippe cum praepositiones exiguo robore sint et subsequentibus vocabulis inserviant, non offendit. Notissimum enim est, aeol. dor. ποτί cum articulo in ποττάν, ποττῶ coalescere (cf. Ahr. II, 529, 354. I, 213) et παρά, κατά, ἀνά ante hunc mutilari in πάρ, πά (cf. πὰ Δάματρα Rhein. Mus. N. F. XVIII, pg. 570) κάτ, κά, ἀν, ὀ i. e. ἀ, (cf. aeol. ὄστασαν, ὀσκάπτω Hesych.) quare eis exemplis, quae Ahrensius congessit, (l. c.) haece arcadica adjungam: πὰρ τὰν σύγγραφον, κατὰ αὐτά, κατάπερ (I. Teg. vv. 42. 45. 53) κάζελε, quocum cypr. καλέχεσο, el. καδαλημένῳ, hom. κάσχεθε (Il. λ, 702) et κάκτανε (Il. ζ, 164) conferas. Huc etiam trahenda sunt cypr. ὶ pro ὑπό et locr. ἐ pro ἐκ. Verumtamen a Christio dissentio, qui in ὀβελός, ἐρεύγεσθαι, ὀμόργνυμι, ἀμείβομαι praepositionum ἀνά ἐκ sanscr. *ava* et lat. *ad* reliquias agnoscit, (Lautl. pg. 36 sq.) cum caussam non intellegam, cur ἀνά et ἐκ, quae alibi integra remanent, in his verbis compositis oblitterata sint. *Ava* et *ad*, quibus in lingua graeca nihil respondet, consilio omitto, sed ἐκ novam nec levem dubitationem movet.

Induit enim in dialecto arcadica cyprica boeotica thessalica ante consonas formam ἐς, ante vocales in arcadica ἐξ, in boeotica ἐσσ. (cf. I. Teg. vv. 6. 42. 51. 39. 21 ἐσδοτῆρες, ἐσδοκαῖ, ἐσδέλλοντες ἐς τοῖ ἔργοι, ἔστεισιν, ἐξέστω, cypr. ἐς ποθ' ἔρπες; boeot. ἐς Μωσάων, ἔσγονος, ἐσσάρχι Ahr. I, 213 thess. ἐσγόνοις, ἐς τάνν ποθόδονν.) Quamquam

exploratum est, antiquius ἐκ casuali quodam additamento (cf. *ab*, *abs*) in ἐκ-ς ἐξ conversum esse (cf. Curt. l. c. 344), nemo tamen contendet, arc. ἐς ex ἐ + ς manasse, sed potius boeotico ἐσσ veri simile fit, ἐξ assimilatione quadam inusitata, quae praepositionum naturae non repugnet, (cf. Curt. l. c. pg. 76) in ἐς emollitum esse. Ad hanc sententiam confirmandam adjumenti aliquid affert forma ἐγ, quam ante litteras medias et liquidas invenimus, (cf. Inscr. Andan. vv. 45. 59. 109. ἐγλεγόντω, ἐγδόμεν, ἐγδεξάμενος), ita ut hanc aequationem quodammodo statuere possimus: ἐς: ἐξ=ἐγ: ἐκ. Ceterum eadem praepositio similiter atque ἰν non forma solum, sed etiam usu insignis est, cum ἐς dativo conjungatur (I. Teg. v. 51: ἐσδέλλοντες ἐς τοῖ ἔργοι), e quo colligendumne sit, ἐκ antiquissimo tempore cum duobus casibus conjungi potuisse, cum genetivo et dativo, hunc autem usum paullatim cedentem in arcadica sola dialecto remansisse, in incerto relinquo, sed non omittam delegare ad variam praepositionem ἐπί παρά ὑπό rectionem et homericum morem, quo ἀνά et μετά dativum et accusativum recipiunt, neque silentio praeteribo lat. *ex* suffixumve -φιν, quod quidem in dativi similitudinem stirpibus annectitur (cf. ἶφι=ἶ Il. χ, 107, παρ᾽ αὐτόφι=παρ᾽ αὐτοῖς, θεόφιν, ἀγέληφι) et cum praepositione ἐκ conjungitur. (cf. ἐκ πασσάλοφιν Od. ϑ, 67 ἐξ εὐνῆφιν, ἐκ θεόφιν.) Controversia autem est de ἐπές (I. Teg. v. 56: πὸς τᾷ ἐπὲς τοῖ ἔργοι γεγραμμένᾳ συγγράφοι), quod Curtius et Michaelis censent *insuper* significare. (Jahns Jhrb. B. 83, pg. 596.) Ego quidem ei praepositionis *ob* notionem vindicaverim, nisus homericis διέκ, παρέκ, ὑπέκ, quibus saepius praepositionis vis inest, quam adverbii, et locutionibus μογεῖν, πάσχειν ἐπί τινι, in quibus ἐπί operae laborisque caussam indicat.

Μέστε (I. Teg. v. 29) e μετάτε, μέττε ortum esse (cf. ὥστε, ἔστε) non audeo affirmare, cum exempla, in quibus ττ in στ transiit, frustra circumspiciam. (cf. Ἀττική, καττύω, τέττα, Πίτακος.) Itaque ad Curtii conjecturam me applico, μέστε fortasse e μέσοιτε vel μέσατε contractum esse (cf.

Jahns Jhrb. pg. 590. Grundz. 189 sq. 298.) Vocalis enim elisio non est offensioni, cum in ὀφλέτω quoque conspiciatur (I. Teg. v. 22. cf. hom. ἔπλετο.)

Idem valet de ποέντω (v. 9), in quo ex more compluribus dialectis communi ι ejectum est (cf. att. ἐποήσατο Franz, El. n. 60. C. I. G. 130). Comparanda sunt lesb. ἄρχαος, λαχόην, boeot. ἀετός et thess. δικαοῖ (Ahr. I, 100 sq. 188, II, 533.) Inde adducimur ad suspicandum, in oppidorum nominibus in -έα velut Κονδυλέα, Μανθυρέα, Τεγέα excidisse litteram ι, praesertim cum pleniores formae in -εια velut Μαντίνεια, Φήγεια extent (cf. hom. βαθέη, ὠκέα). Hanc igitur formarum seriem proposuerim:

Φήγο-ια
|
Φήγε-ια

Φηγέα Φηγία (cf. Ἀρκοί-ας = Ἀρκέ-ας C. I. G. 1512.)

In ὅπερ i. e. ὅςπερ (I. Teg. v. 38 cf. hom. ὅπερ Il. η, 114) ne quis crediderit sibilum ante π evanuisse. Arcades enim etiam aliis in formis posteriorem tantum hujus pronominis partem flectere solebant, (I. Teg. v. 27: ὅτινι cf. hom. ὅτις, Il. γ, 279 ὅτευ) quo in more cum Lesbiis et Doriensibus conspirarunt (cf. Ahr. I, 127, II, 278.)

Eidem simplicis pronominis relativi loco stirpem το non ὁ adhibebant, (cf. I. Teg. vv. 4. 37. ἀπὺ τᾷ scil. ἀμέρᾳ, τὸ scil. χρέος ἂν δικάζητοι Ahr. I, 127 sq. II, 275 sq. Struve: De dial. herod. I, pg. 46.) Nasalis interpositio, quae nobis in pronomine τωνί occurrit, (v. 38) quod Michaëlis (Jahns Jhrb. pg. 593) cum τουτουΐ sagaciter comparat, fortasse facta est, ne antecedens ω ι vocalem, cui demonstrativa vis inhaeret, absorberet, quare illius opinionem, in versu 55 pro ταví scribendum esse ταννί, improbaverim.

Sed redeamus ad illas depravationes, a quibus profecti sumus. Cum in singulis vocibus assimilatio, metathesis syncope efficiant, ut pronuntiationis facilitas augeatur, eodem spectat in enuntiatis enclisis, qua verborum exitus sequenti vocabulo se accommodant. Exempla hujus affectio-

nis, quam praecipue voces in nasalem desinentes patiuntur, e dialecto arcadica proferam haec: *τὸμ μέν, ἂμ μή, τὸμ βολόμενον, ἂγ κρίνωνσι* (I. Teg. vv. 51. 44. 24. 5) *ἐπίκρισιγ κατάπερ, πόσοδομ ποέντω* (vv. 52. 9.), quibus alia ex attica et dorica hausta addere supersedeo, cum haec res notissima sit, sed ex eo, quod in serioris aetatis inscriptionibus haec litterarum accommodatio scriptura non indicatur, ne colligas, hanc e populi ore excidisse, potius arc. *ἑκοτόνβοια* (C. I. G. 1515) et att. *συνφερόντων, ἐπανγέλλεται* et delph. *πονπεύειν* pariter pronuntiata erunt atque *ἑκοτόμβοια, συμφερόντων* cet. (cf. rec. Graec. *τὴν πόλιν* = *tim bolin.*) Nam ut loquendi consuetudo prior est, quam scribendi, sic haec prius elabitur quam illa.

In inscriptione tegeatica *ν* ephelkysticon semel neglectum (v. 44. *ὑπᾶρχε ἰν τοῖ χρόνοι*), semel additum est (v. 43. *ἀναλώμασιν.*)

In hac neque psilosis neque digammatis vestigia, quae maxime dialecto lesbiacae et eleae impressa sunt (cf. Ahr. I, 21. 226), detegere possumus, (cf. vv. 4. 26. 3. *ἁμέραις, ἱερῶν, ἔργον*), sed illius tituli *Fασστύοχο* (C. I. G. 1520) quem antiquitatem affectare diximus, docet, digamma Arcadibus non esse abjudicandum. Spiritus asper, quo etiam Boeoti utebantur (cf. *ἁμίων, ἱών* Ahr. I, 168), in *Ἑρμείας* et *Ἡρακλῆς* scriptus est. (Rang. II, n. 2238.)

Etsi in eis, quae de consonis exposuimus, multo pauciora inveniuntur, quibus dialectus arcadica singularem speciem accepit, sufficiunt tamen, ut locus, quem propter vocales inter boeoticam et lesbiacam obtinet, confirmetur.

De nominum declinatione.

Initium capiamus a primae declinationis genetivo in *-αυ*, qui non minus sibili detractione quam diphthongi attenuatione notabilis est. *Ζαμίαυ* enim e *ζαμία*-jos ortum esse commemoravimus. Ne haec litterae *ς* decisio habeatur inaudita, impedit secundae personae pluralis activi suffixum *-τε*, cui in lingua latina *-tis* respondet (cf. *ἐστέ* = *estis.*) Huic exemplo luculento, cum incertum sit, utrum el. *τελέστα* (cf.

Ahr. I, 230) et hom. *ἱππότα*, *νεφεληγερέτα* nominativi notam amiserint an antiquitus respuerint, adjungo adverbia *αὖθι*, *ἄχρι*, *μέχρι*, *πολλάκι*, *εὐθύ*, *μεσσηγύ*, quorum integrae formae in ς desinentes item in usu fuerunt (cf. Christ Griech. Lautl. pg. 143.) Neque autem huc pertinent *ἀντικρύ* et *οὕτω*, quorum originariae formae *ἀντικρύτ* et *οὕτωτ* eo, quod τ aut evanuit (cf. *μέλι* pro *μέλιτ*) aut in ς abiit (cf. *λελυκός* pro *λελυκότ*), duplici modo mutilatae sunt. Atque si illud *ζαμίαν* i. e. *ζαμίαο* cum vulgari *ζαμίας* i. e. *ζαμία-ος* comparamus, patet, arcadicam formam ad latinam *terrae* i. e. *terrai* prope accedere. Nam cum in lingua graeca ea formandi ratio usitatior sit, ut *α* cum *ος* contrahatur in *ας*, latina alteram, qua *a-is* in *a-i* decurtatur, ingressa est. Cum hac igitur congruit arcadica, cum illa osca et umbrica. (cf. *moltas*, *tutas*.) Attamen in latina et arcadica perspicua alterius quoque rationis vestigia reperiuntur, cum in illa inscriptiones et grammatici formas *familias vias escas* offerant, in hac articulus ubique contractionem exhibeat (cf. *τᾶς ζαμίαν* I. Teg. v. 20. Ex eo autem, quod praeter has latinas adsunt *Prosepnais*, *Dianaes*, *Moscaes* (C. I. L. 57. 1242. 1063) colligere licet, etiam in *ζαμίαν* attenuationem prius factam esse, quam sibili detractionem, quare hoc formarum stemma posuerim:

α-jos

[*α*-os] [*α*-is]

[*ανς*] as ais, aes

| | |

αν ai ae

cf. Curt. Jahns Jahrb. pg. 493.)

Quamquam sonis respectis nihil repugnaret, si etiam nomina masculina in *-αν* ad suffixum -jos revocaremus, praesertim cum hoc modo deficientes formas in *-αο* et *-α* (cf. boeot. *Εὐμαρίδαο*, thess. *Ματροπολίταο*, lesb. *Κρονίδα* Ahr. I, 203 II, 529 I, 110) inveniremus, huic tamen sententiae obstant linguae cognatae persica vetustior et messapica,

quarum genetivis *Auramazdāha* et *Dahizonnihi*, in quibus *h* antiquo *s* respondet, apertum fit, nomina masculina suffixum -*σjο* recepisse. (cf. Jahns Jahrb. 71, pg. 354.) Nam quod te fortasse offendit, abesse formam in -*αιο*, quam ex analogia homericarum *ἵπποιο*, *Πριάμοιο* exspectaveris, explicatur hoc quodammodo vocalis *α* mensura. Poëta enim, cum in *Ἀτρείδᾱο* stirpis *α* longum esset, non cogebatur, ut formam diphthongo servata metro accommodaret. Itaque suffixum -*σjο* cum stirpibus in -*α* et -*ο* exeuntibus coaluit sic:

[*Θρασέα-σjο*] | [*Πριάμο-σjο*]
[*Θρασέα-jο*] | [*Πριάμο-jο*]
Θρασέα-ο | *Πριάμο-ιο* *Πριάμο-ο*
Θρασέα *Θρασέαν* | *Πριάμοι* *Πριάμω* *Πριάμου*

cf. Kuhns Zeitschr. I, 121.

Valde mihi placet, quod Curtius suspicatus est, apud Arcadas, cum nominum in -ο dativus singularis in -*οι* terminetur, eundem stirpium in -*α* casum desiisse in -*αι*, non in -*ᾳ*. Concedendum est, hanc rem litteris majusculis usurpatis non posse ad liquidum perduci, verum si reputamus in adverbio *ἄλλη* (I. teg. v. 36) et conjunctivis *τυγχάνη ποσκατυβλάψη* (vv. 14. 40) *ι* subscriptum suppressum esse, quo usu Arcades cum Lesbiis Thessalis et Doriensibus concinunt (cf. Ahr. I, 99. II, 529. 362), non duxerim nimiae audaciae, *AI* per minusculas litteras -*αι* exprimere. Praesto autem sunt haec dativi exempla: *ταῖ ὅσαι ζαμίαι Τεγέαι γεγραμμέναι* (vv. 4. 18. 36. 56.)

In genetivo pluralis Arcades aeque ac Lesbii et Dorienses (Ahr. I, 110 II, 225) *ά-ων* contraxerunt in -*ᾶν*, (cf. *ἐργωνᾶν* I. Teg. v. 47. *τᾶμ πετρᾶν*, *Μεγαλοπολιτᾶν* C. I. G. 1534. *Τεγεατᾶν* numm.) cum in dialecto boeotica et thessalica, si boeot. *δραχμάων* et thess. *τάοιν κοινάουν* respicis (Ahr. I,

203 II, 529) vetustior forma religiose servata sit (cf. hom. *κλισιάων*.)

Cum formas corruptas velut *ἀρετᾶς Τεγεατῶν* (C. I. G. 1516) ab hac quaestione excludam neque quidquam ceteri casus habeant peculiare (cf. *ἐργώναν*, *ἁμέραις*, *δαρχμάς* I. Teg. vv. 52. 4. 23) ad nomina in -*ο* desinentia pergam, quae, qua ratione genetivum singularis formaverint, iam dictum est. Hunc enim apud Arcadas in -*ω* exiisse, supra attigi. Eo autem haec dialectus superat alias puritate, quod dativi suffixum relinquit integrum. Nam cum in lesbiaco *σιεφάνω* (Ahr. I, 99) postrema stirpis vocalis casus notam absorpserit, in boeotico *δάμυ* et thessalico *αὐτοῦ* (Ahr. I, 193. II, 528) insuper vocali *ο* offuscata prisca terminationis species valde obscurata sit, eam ipsam arcadica in *τοῖ χρόνοι αὐτοῖ ἔργοι ἡμίσσοι* (I. Teg. 2. 44. 25) constanter retinuit. Itaque si linguas italicas adhibes, consentaneum est, arcadicam cum osca comparari (cf. *Abellanúi*), lesbiacam cum latina (cf. *bello*), boeoticam et thessalicam cum umbrica (cf. *Juvie*). In dativo pluralis formando Aeolenses exceptis Boeotis, qui etiam hic *υ* admiserunt, (cf. *τῦς πολεμάρχυς*) non recedunt a vulgari more, quo *οις* incorruptum remanet. (cf. osc. *Abellanúis*, contra lat. *bellis*, umbr. *adrir*.) Exempla arcadica sunt *τοῖς ἔργοις ἰδίοις* (I. Teg. vv. 12. 13. 13.) Cum de accusativo pluralis quid sentiam supra (p. 25) ostenderim, nihil de ceteris casibus addendum est. (cf. *ἔργον*, *στραταγοί*, *ἔργων* vv. 37. 9. 16.)

Fere idem valet de declinatione tertia, e qua haec tantum commemoratu digna depromo: dativus singularis stirpium in *ς* exeuntium cadit in -*ι* velut *πλῆθι* e *πλήθεσ-ι*, *πλήθε-ϊ* natum, quocum lesb. boeot. dor. *πόλι* i. e. *πόλιι*, quae vox apud Arcadas quoque non exhibet amplificatam stirpem *πόλει*, (cf. I. Teg. v. 12: *πόλιος*) et cl. *Δί* conferas, in quibus similis coartatio apparet. (cf. Ahr. I, 116. 205. II, 232 sq.). Ne autem in genetivis *Ξενοφάνεος* et *Τιμοκλέος* (C. I. G. 1513) doricae dialecti contagionem agnoscas. (cf. *Ἀριστομένεος*, *Ἱπποκλέος* Ahr. II, 235.) Quos, quamvis

in titulo recentiore extent, satius tamen esse credo, dialecto vernaculae vindicare, cum Lesbii quoque in vocum genetivo, quarum nominativus in -ης vel -ος exit (cf. arc. Δαμοκλῆς, Τιμοκρέτης C. I. G. 1512. 1513), contractionem non admiserint (lesb. στήθεος, μελιάδεος Ahr. I, 116). Boeoti dixerunt Διοκλεῖος (Ahr. I, 205). Quibuscum discrepant Arcades etiam in dativi pluralis suffixo, cujus pleniorem formam -σσι, quae in boeot. βούεσσι et lesb. διαλυσίεσσι cernitur (Ahr. I, 204. 116), non assumpserunt. (cf. I. teg. v. 16. ἐσδόσεσι, dor. πόλεσι, ἐπιχύσεσι Ahr. II, 232). Ceteri casus a vulgari flectendi consuetudine non abhorrent. (cf. ἐόντος, ἐπίκρισιν, ἐσδοτῆρες, ἐσδοθέντων, κοινᾶνας I. Teg. vv. 11. 19. 6. 7. 21).

De verborum declinatione.

Cum ea, quibus solis in verborum flexione indaganda niti possumus, non minus tenuia et exigua sint, quam quae nominum declinationi adumbrandae usui fuerunt, formas, quae in inscriptione Tegeatica inveniuntur, singillatim tractare malo, ita quidem ut ea, quae dispersim de terminationibus protuli, colligantur et suppleantur.

Desinit

tertia persona singularis conjunctivi praesentis et aoristi activi in -η (cf. I. Teg. vv. 14. 26. 40. 45 τυγχάνῃ, ἔχῃ, ποσκατυβλάψῃ, κατυστάσῃ), ita ut in his et lesb. ἐνδεύῃ (Ahr. I, 130) et dor. θέλῃ, βλάπτῃ (II, 294), cum ἔχῃ in ἔχῃ-τι redeat, epenthesis, quae in att. ἔχῃ ι subscriptum effecit, omissa sit, tertia persona pluralis conjunctivi praesentis et aoristi activi in -νσι, velut κρίνωνσι, παρετάξωνσι (vv. 5, 28), quorum posterius non est derivandum a παρατάσσω, ut Bergkius vult (Comm. pg. 15), sed a παρετάζω. Loci sententia, quo legitur hic conjunctivus, postulat decernendi notionem, quae alias verbo ἐξετάζειν inest.

Tertia persona singularis optativi aoristi activi terminatur in -αι (cf. φθέραι v. 8. et dor. ποιήσαι Ahr. II, 335) et -ειε, quod cum ι vel ιε modi nota sit, ex α-ιε attenuatum

est, (*λύσα-ι = λύσε-ιε*, arc. *διακωλύσειε* v. 7[15]) lesb. *τύψειε* Ahr. I, 148)
tertia persona pluralis imperativi praesentis et aoristi activi in *-ντω*, (vv. 9. 18. 19. 8 *ποέντω, ζαμιόντω, ἀγκαρυσσόντω, ἰναγόντω, διαγνόντω*) quod suffixum contra Lesbios, qui *-ντον* (*φέροντον* Ahr. I, 130) utebantur, etiam Dorienses asciverunt, (*ποιούντω, δόντω* Ahr. II, 296)
infinitivus praesentis activi in *-εν*, (v. 29 *ἰμφαίνεν*, dor. *φέρε-ν*, lesb. *φέρην* Ahr. II, 303. I, 99)
tertia persona singularis conjunctivi praesentis et aoristi medii et indicativi perfecti passivi in *-οι* (vv. 36. 5. 46. *ἰνδικάζητοι, γένητοι, τέιακιοι*).

Dialectus autem arcadica, ut in terminationibus, sic in temporum formatione passim se applicat ad doricam, cum in versu 14 *λελαβηκώς* et *ἀφειώσθω*, quae doricorum *λελάβηκα* et *ἀνεῶσθαι* memoriam nobis revocant, clare legantur (cf. Ahr. II, 347. 344), sed jam id, quod illud Syracusanis attribuitur, hoc Graecis italicis et utrumque etiam Ionibus proprium est, impedit, quominus credamus has formas Arcadas debuisse Doriensibus.

Insigne participium aoristi activi *ἀπυδόας* (v. 13) nescio, quomodo explicem, quare boeoticum perfectum *ἀποδεδόανθι* et aoristum *ἀνέθιαν* comparandi caussa adscribere satis habeo (Ahr. I, 211).

Inde ad alias verborum stirpes vocali thematica nudas accedo, e quibus primum attingo *δέαμαι*. E radice *διF*, quae per *α* in *δεα* amplificata est, fluxerunt hom. *δέατο, δοάσσατο* (Od. ζ, 242 Il. ν, 458) et arc. *δέατοι* (I. Teg. v. 10), cui conjunctivo, cum stirpes bisyllabae in hoc modo

15) I. Teg. vv 6—8: *Εἰ δὲ πόλεμος διακωλύσει τι τῶν ἔργων ἢ τῶν ἠργασμένων τι φθέρια, οἱ τριακάσιοι διαγνόντω.* Quamvis *διακωλύσει* futurum haberi possit, ut Bergkius vult (Comm. pg. 13. 15), Michaeli tamen assentior putanti lapicidam neglegentia litteram *E* pro *Λ* incidisse, quia oratio hoc optativo concinnior fit et in vv. 12. 13. pergitur: *εἰ δέ τι ἐργωνήσας* (non *τις ἐργ.*) *μὴ ἐγκεχηρήκοι, ὁ δὲ πόλεμος διακωλύοι, ἀπυδόας τὸ ἀργύριον.*

vocalem producere soleant, longum α inest (cf. ἔρᾱται Pind. Pyth. IV, 92. Curt. Grundz. 213. 502. Ahr. I, 145. II, 313. Buttm. Lexilog. II, 92.)

Radicis ἐς participium Arcades cum Lesbiis, Boeotis et Doriensibus congruentes in ἐών (boeot. ἰών) formarunt (cf. ἐόντος I. Teg. v. 11. Ahr. I, 146, 211. II, 323), contra tertiam personam singularis imperfecti, quae attice et lesbiace ἦν i. e. ἦσετ, ἦσεν, ἦεν sonat, dorico more in ἦς i. e. ἦστ. De ceteris formis, cum de infinitivo ἦναι (v. 10) jam verba fecerim, nihil habeo, quod adjiciam.

Reliquum est, ut de verbis contractis, quae verborum in -μι declinationem secuta esse dicuntur, accuratius disseram, quo loco valde scopuloso, ne naufragium faciam, periculum mihi instat.

Qui arcadicos imperativos et participia praesentis activi ποέντω, ζαμιόντω, ζαμιόντες, ἀδικέντα (I. Teg. vv. 9. 17. 52. 4.), infinitivos praesentis activi ἀπειθῆναι, κατυφρονῆναι, imperativum et participium praesentis passivi ζαμιώσθω ἀδικήμενος (vv. 48. 49. 28. 3) leviter intuetur, censet fortasse, in illis exemplis terminationes stirpibus vocali thematica carentibus, in his stirpibus ea ipsa praeditis annexas esse, sed si pervestigaveris horum verborum originem, qua ά-ω, έ-ω, ό-ω respondent sanscrito *ajāmi*, concedes, ἀδικέω, ut hoc verbo exemplo utar, propterea, quod ω ad suffixum *ja* pertineat, non vero vocalis thematica sit, aptius cum τίθημι quam cum φέρω componendum esse. Ortum enim est ex ἀδικέ-jω, ἀδικεῖς ex ἀδικέ-jε-σι et aeque ac φέρω amisit suffixum personale, quare antiquissimam formam posuerim ἀδικέ-jω-μι, e quo spirante *j* elisa et suffixo -μι dempto, prout productio vicaria aut adhibita aut neglecta est, ἀδικήω (Sapph. I, 20. 24. ἀδικήω, ποθήω) et ἀδικέω manarunt. Ex hoc ἀδικέω, quam formam lingua vulgaris solam recepit, formatus est nominativus plur. part. praes. act. ἀδικέο-ντες, qui contractione facta ἀδικεῦντες sonuit (cf. Alc. 7 βέλευς) eamque ob caussam Ahrensii sententiam, formas lesbiacas μοχθεῦν-

τες et διvεῦvτες (Alc. 18. Sapph. 1, 10) corrigendas esse in μόχθεντες et δίνεντες, non probo (Ahr. I, 142), contra ex ἀδικήω natum esse existimo participium praes. pass. ἀδικηόμενος, quod in ἀδικήμενος coaluit. Ad eandem formandi rationem pertinent lesbiaca καλήμενος νοήμενος (Ahr. I, 144), eleum καδαλήμενος (I, 230), boeoticum ἀδικείμενος (I, 210), delphica καλείμενος, ἀφαιρείμενος (Curt. Ausbeute der delph. Inschr. Ber. d. k. s. Gesellsch. d. W. 1864) et homericum ἀλιτήμενος (Od. δ, 807.) Nam e futuro ἀλιτήσω colligo praeter ἀλιταίνω extitisse ἀλιτέω neque Ahrensio (I, 135) assentior putanti ἀλιτήμενος metri caussa pro ἀλιτόμενος positum esse, cum, si ita res se haberet, ἀλιτώμενος exspectaremus. Non autem huc referendum est hom. τιθήμενος, cujus η, cum versus syllabam longam flagitaret, ex ε producebatur (cf. τιθήμεναι), neque ἀκαχήμενος, ἀλαλήμενος, quae, quamquam accentus retractio offendit, participia perfecti passivi agnosco; contra illis formis addenda sunt:

arc. ζαμιώσθω e ζαμιοjε-σθω, ζαμιωε-σθω natum
inf. κατυφρονῆναι e κατυφρονεjε-ναι, κατυφρονηε-ναι, ἀπειθῆναι
lesb. φορήμεθα e φορεjο-μεθα, φορηο-μεθα (Ahr. I, 130)
inf. ἐπαίνην ex ἐπαινεjε-ν, ἐπαινηε-ν· (νίκαν e νικαεν, στεφάνων e στεφανωεν Ahr. I, 140)
hom. φορῆναι e φορεjε-ναι, φορηε-ναι (κιχῆναι) et φορήμεναι e φορεjε-μεναι, φορηε-μεναι (φιλήμεναι, ποθήμεναι cf. Curt. Griech. Schulgramm. 8. Aufl. pg. 145 Anm.)

Nam quamvis aeolico contrahendi mori non repugnaret, si arc. κατυφρονῆναι ad κατυφρονεjε-ναι, κατυφρονεεναι revocaremus, lesbiacum tamen φορήμεθα et hom. φορῆναι docent, stirpis vocalem ε subiisse productionem vicariam, cum e φορεό-μεθα et φορέε-ναι non nata essent φορήμεθα et φορῆναι, sed φορείμεθα et φορεῖναι.

Iam vero ab his formis participia arcadica, quae sunt ἀδικέντα, ζαμιόντες, eo tantum differunt, quod longae vocalis

loco brevis conspicitur. Et mihi quidem hoc correptione quadam explicandum esse videtur, quae propter duas consonas subsequentes facta est. Similis est ea correptio, de qua Ahrensius I, 172 sqq. agit. Nam ut acc. pl. *δημότᾰς* α correptum *νς* litteris olim subsequentibus debet, sic *ἀδικέντες* ex *ἀδικήντες* correptum esse censuerim.

Vix opus est, formas, in quibus aliae dialecti suffixa annexuerunt ad stirpes non amplificatas adscribere. Sunt autem hae:

lesb. *φίλη-μι*, *ὄρη-μι*, *δοκίμω-μι*, boeot. *φίλει-μι*, *νόειμι* (cf. Ahr. I, 136. 200)

lesb. *γέλαις*, *χαύνοις* i. e. *γέλα-σι*, *χαύνο-σι* (Ahr. I, 138)

lesb. *ἐπιρρόμβεισι*, *χόλαισι* i. e. *ἐπιρρόμβε-ντι*, *χόλα-ντι* et boeot. *φίλε-ντι*, *οἴκε-ντι* (Ahr. I, 139 sq. 208)

lesb. *φίλεις* i. e. *φίλε-νς*, *φίλε-ντος*, *φρόνεις* et thess. *στρονάγε-ντος* (Ahr. I, 142. II, 529).

Eis, quae modo de verbis contractis exposui, intima dialectorum aeolicarum conjunctio, quam supra indicavi, comprobatur neque diutius quisquam infitiabitur, arcadicam non solum his adnumerandam, sed quasi vinculum esse, quo septentrionales et australes consocientur.